

**DE FONTIBUS
EORUM INVESTIGATIONE
ET EDITIONIBUS**

I

DE NUNTIATURA POLONA ET DE SCRIPTIS AD ILLAM ATTINENTIBUS

1. De nuntiaturae Polonae origine et peculiaritate.

Publicorum, permanentium et stabilium Sedis Apostolicae oratorum institutum, vulgo nuntiatura dictum, in Polonia spatio primorum viginti annorum saeculi XVI radices egit coaluitque. Illius tamen origines iam prius quaerendae sunt, in illa scilicet rerum publicarum, ecclesiasticarum et cultus civilis permutatione, quae saeculo XV initium sumpsit. Eiusmodi permutatione - accedente etiam gravi periculo Turcico, quod regionibus Europae australibus et ad orientem solem vergentibus imprimis imminerebat - factum est, ut in Polonia hoc nuntiaturae apostolicae institutum non ex antiquis oboli Sancti Petri collectoriis (sicut saepe alias evenit) coalesceret, sed ex legatione "legatorum missorum", qui semel atque iterum ad obeunda singula munera a summis pontificibus eis commissa ad principes externos mittebantur¹. Omnia, quae - nostrae aetatis doctorum sententia - ad permanentem et stabilem nuntiaturam apostolicam requiruntur, ut sunt: instructio in scriptis nuntio data, facultates iurisdictionales ei concessae, publica missio ad aulam principis pontificia auctoritate facta (litterae credentiales nuncupatae), longior ibi commoratio, officium denique expediendi et promovendi publica et ecclesiastica negotia², inter legatos pontificios in Poloniam missos primum in Zacharia Ferreri, episcopo Guardiensi, qui annis 1519-1521 munere nuntii apostolici penes aulam Sigismundi I Poloniae regis functus est, reperiuntur³. Ab illo igitur - praeter contrariam opinionem, iam a nuntio Iulio Rug-

¹ De origine nuntiaturae Polonae fusius scribo in libro *Papiestwo-Polska, 1548-1563. Dyplomacja* [Papatus et Polonia, 1548-1563. Relations diplomatiques], Lublin 1977, p. 13-53. Cfr. etiam meum commentarium *Zur Entstehung und Organisation der Polnischen Nuntiatur bis 1572*, MÖSA 33 (1980), p. 58-76. De instituto publicorum Sedis Apostolicae oratorum eiusque incrementis vide P. Blet SJ, *Histoire de la Représentation diplomatique du Saint Siège des origines à l'aube du XIX^e siècle*, Città del Vaticano 1982.

² De elementis eiusmodi, quibus examinandis tales viri docti, ut Antonius Pieper, Petrus Richard, Robertus Graham et Canutus Walf, etiam vacaverunt, loquor in *Papiestwo-Polska*, p. 14-17.

³ Haec constant ex actis eius nuntiaturae, quae in secundo tomo ANP publicantur. Iam Rinaldus Przewdziecki indicavit omnia, quae in stabili et permanenti nuntio apostolico requiruntur, in illo affuisse,

gieri prolatam (1568) et ab omnibus fere Polonis et exteris rerum gestarum studiosis receptam, qui primum nuntium apostolicum in Polonia Aloisium Lippomano (1555-1557) fuisse affirmant⁴ - incipit longa series Sedis Apostolicae nuntiorum in Polonia permanentium. Multi enim nuntii, qui inde a discessu Ferrerii usque ad adventum Lippomani munere suo functi sunt, licet ad obeunda singula eis concredita officia longiore in Polonia commoratione non indiguerint, attamen tam propter pondus et gravitatem negotiorum illis demandatorum, quam ob magnum nondum editorum, quae reliquerunt, documentorum numerum, sicuti nuntii, ut aiunt, minores in hanc seriem inserendi nobis visi sunt.

A Zacharia Ferreri usque ad occasum interitumque Reipublicae Utriusque Nationis (Polonae scilicet et Lithuanae), quem exeunte saeculo XVIII evenisse inter omnes constat, 60 nuntii apostolici plenis mandatis instructi, 5 legati pontificii (quibus magni momenti legatio semel commissa erat) et aliquot nuntii extraordinarii, quos vocant (quibus alicuius momenti missiones semel demandabantur), munere suo in Polonia functi sunt. Illo autem temporis spatio, quo populus Polonus, sub potestatem inimicorum suorum redactus, servitute oppressus tenebatur (1795-1918), Ecclesiae Polonae negotia nuntiis, penes aulas ipsorum Poloniae oppressorum constitutis, committebantur. Qui quamvis multa documenta ad Poloniam spectantia post se reliquerint, nemo tamen illorum, neque Laurentius Litta, qui - postquam ultimus Poloniae rex, Stanislaus Augustus Poniatowski, a. 1795 se regno abdicavit - Petropolim translatus est, ubi ipse et eius successores, nuntii apud aulam totius Russiae imperatorum constituti, usque ad a. 1808 residebant, neque nuntii Monacenses, qui negotia catholicorum in aula Pruthena sibi commissa habebant, neque tandem nuntii Vindobonenses, nuntii apostolici in Polonia, pro quibus aliquando a nonnullis habebantur⁵, existimari possunt, nam nuntii vocantur qui penes principes pleno dominio instructos constituti sunt.

Nuntiatura Polona non prius quam a. 1919, Polonia pristinae libertati suae restituta et renata, reviviscere potuit. Primus nuntius in II Republica Polona fuit Achilles Ratti (1919-1921), iam ab a. 1918 visitator apostolicus Poloniae et Lithuaniae; ultimus autem fuit Philippus Cortesi, qui mense Septembri a. 1939 Polonia discessit, sed usque ad mortem suam, scil. 1 II 1947, titulo nuntii usus est⁶. Relationes diplomaticae inter Sanctam Sedem et regimen Reipublicae Popularis Polonae ruptae sunt a. 1945. Sed tandem, mu-

cfr. *Diplomatie et protocole à la cour de Pologne*, Paris 1934, p. 15.

⁴ Cfr. Cz. Nanke, *Historia dyplomacji* [Historia relationum diplomaticarum], Kraków 1947, p. 59; H. Kramer, *Die Erforschung und Herausgabe der Nuntiaturberichte*, MÖSA 1 (1947), p. 495; Ch. Wollek, *Das Domkapitel von Plock, 1524-1564*, Köln-Wien 1972, p. 171.

⁵ Cfr. ex. gr. P. Fabisz, *Wiadomość o legatach i nuncyuszach apostolskich w dawnej Polsce (1095-1864)* [De legatis et nuntiis apostolicis in vetere Polonia a. 1075-1864], Ostrów 1864, 2 ed. ibidem 1866.

⁶ Vide AAS, Series II, T. 14 (1947), p. 72. Cfr. Tab. LVII-LX et App. N. 34.

tatis conditionibus et longa tractatione antecedente, die 17 VII 1989 restauratae sunt et nuntiatura iterum restituta, dieque 27 VIII 1989 novus nuntius, mons. Iosephus Kowalczyk, archiepiscopus Heracleensis, nominatus⁷.

Nuntiatura Polona candidatos parum alliciebat. Existimabatur enim nuntiatura secundi gradus (una cum Bruxellensi, Coloniensi, Lusitana et Helvetica) et ponebatur post Parisiensem, Vindobonensem et Matritensem (quae primi gradus censebantur), sed ante nuntiatas Italicas (tertii gradus). Ex magnitudine gradus pendebat magnitudo stipendii singulis mensibus persoluti. Itaque menstruum stipendium nuntii apostolici in Polonia trium saeculorum (XVI-XVIII) spatio fuit 200 ducatorum "auri de Camera", qui 230 scutis Italicis pares erant. Eodem tempore nuntio Parisiensi a 345 ad 482, Vindobonensi a 240 ad 320, Italicis a 60 ad 200 scuti solvebantur⁸. In remotam ab Urbe Poloniam iter facientibus viaticum dabatur 500 (interdum 700) scutorum, totidem collegae eorum in Helvetiam profecturi obtinebant⁹. Notandum est tamen, quod ista minora stipendia maioribus forsitan quam alibi proventibus ex taxis dispensationum, gratiarum et iurium tribunalis nuntiatursae, qui medio XVII saeculo a 50 ad 100 scutos singulis mensibus efficiebant, saltem in parte compensabantur¹⁰. Qui omnes introitus non sufficiebant tamen ad aequivalentas expensas nuntiatursae, quae aliquando 500 scutos singulis mensibus superabant et "ex proprio nuntii, [i.e. ex redditibus beneficiorum, quae a pontifice obtinebat] suppleri debebantur"¹¹. Sed praeter modica stipendia alia etiam accedebant incommoda, quae ab ambienda nuntiatursae Polona candidatos dehortabantur: magna locorum distantia, quae inter Italiam et Poloniam intercedit, caeli asperitas aerque nimis frigidus, minor hospitiorum et deversoriorum commoditas¹² et imprimis ciborum diversitas,

⁷ Cfr. App. N. 35 et "L'Osservatore Romano", A. 129 (1989) n. 202 (27 VIII 1989: nominatio Rev.mi Iosephi Kowalczyk). De praeviis tractationibus vide commentarium editorialem *Nel solco della tradizione* in: "L'Osservatore Romano", A. 129 (1989) n. 168 (17-18 VII 1989).

⁸ De stipendiis XVI saec. vide Wojtyška PP, p. 214-215. Adhuc a. 1568 nuntio Parisiensi tantum 345 et Vindobonensi 230 scuti solvebantur (cfr. J. Lestocquoy ANG I, p. XXXI); anno vero 1618 nuntio Parisiensi 360, Vindobonensi 240, Polono, Coloniensi, Helvetico et Bruxellensi 230, Veneto 150, Florentino 57,50 scuti solvebantur (cfr. *Pagamenti ordinarii che si fanno ogni mese in Depositeria Generale, Provisone di Nuntii*, in AV, F. Borghese, I 715 f. 142r). Salarium 230 scutorum memorat etiam Vidoni a. 1671 (Cfr. App. N. 13); quod stipendium remansit invariatum toto XVIII saec., cum tempore illo stipendia nuntii Parisiensi usque ad summam 482,62 et Vindobonensis ad 321 scutorum aucta sint (vide Roma, AS, F. Camerale II, *Nunziature I: Assegnamenti ai nunzi*, fasc. 1-2 passim).

⁹ Cfr. Roma, AS, F. Camerale II, *Nunziature* 1, fasc. 1 f. 3r. Saec. XVI parte altera totum viaticum nuntii (etiam redditum eius ex Polonia comprehendens) fuit 1000 scutorum. Eodem tempore nuntii Vindobonam et Lutetiam proficiscentes 1500 scutos obtinebant. Cfr. Wojtyška PP, p. 214. Pro altera parte saec. XVII vide App. N. 13.

¹⁰ Cfr. App. NN. 10 et 13. Eodem tempore redditus mensiles nuntii Coloniensis 50 scutos non superabant, cfr. L. Just, *Die Kölner Nuntiatur nach einer Information des Uditore Fini von 1670*, "Annalen des Historischen Vereins für den Niederrhein" 155-156 (1954), p. 315.

¹¹ App. N. 13. Cfr. etiam N. 10.

¹² Cfr. App. NN. 10, 13 et Garampi IR, p. 1332-1334. Nuntii plerumque in monasteriis ordinum religiosorum, qui curam animarum Italarum in Polonia exercebant, residere solebant: Cracoviae apud

de qua omnes nuntii in Polonia perpetuo querebantur¹³.

Unica laborum et incommodatum, quas nuntii in Polonia perferre cogebantur, compensatio fuit spes certa futurae ad superiorem aliquem dignitatis gradum promotionis. Consuetudo enim fuit, ut reges Poloniae, solliciti, ne maiestas atque auctoritas regni ipsorum labefactaretur, vehementer reclamarent, quotiescumque nuntius ex nuntiatura Polona ad aliud inferioris gradus officium transferebatur. Regi enim persuasissimum fuit bene meritum nuntium in Polonia munere suo perfunctum nonnisi sacra purpura decorari potuisse, sicut inde ab a. 1565 moris erat, cum Sigismundus Augustus Ioanni Francisco Commendone cardinalatus dignitatem a Pio IV impetrasset¹⁴. Hoc non scriptum privilegium reges Poloniae tum praesertim acerrime defenderunt, cum nuntius, qui revocabatur, "regi et Poloniae gratus" fuit¹⁵. Cui tamen regum desiderio obiciebatur aliquando a pontificibus constitutio Pii IV, 18 V 1565 data, qua inhibebatur nuntiis, ne a principibus ad quos mittebantur favores procurarent ad obtinendas dignitates apud Sedem Apostolicam¹⁶. Dissensiones, quae inde ortae sunt, quod Paulus V nuntio Claudio Rangoni (1599-1606) et Urbanus VIII Ioanni Lancellotti (1622-1627) ac Honorato Visconti (1630-1635) cardinalatum denegaverunt, causa fuerunt praematuri ex Polonia a. 1643 discessus successoris eorum, Marii Filonardi¹⁷.

Quod de cardinalatus dignitate dictum est, eo vel magis valet de officiis, quae paria vel inferiora nuntiatura Polona censebantur. Praecipue gravis et significans fuit reclamatio regis Michaelis Coributi Wiśniowiecki, cum a. 1670 Galeatius Marescotti ex nuntiatura Polona ad Hispanam translatus esset¹⁸. Tunc demum reges Poloniae voluntati pontificiae obtemperaverunt, cum saeculo XVII exeunte consensissent, ut nuntii Varsavienses unice ad Vindobonensem nuntiaturam transferrentur¹⁹.

Franciscanos Conventuales, Varsaviae primum apud Bernardinos (Fratres Minores de Observantia) prope ecclesiam S. Annae, ab exeunte autem saec. XVII apud Theatinos in via Longa; nonnulli in capitulo S. Ioannis hospitio recipiebantur. A. 1924 nuntiatura II Reipublicae propriam sibi residentiam acquisivit Varsaviae in Platea Szucha (hodie I Armii Wojska Polskiego) sub n. 12.

¹³ Multa de omnibus incommodis, quae nuntii in Polonia ferre cogebantur, scribit Marescotti (*Vademecum*) et auctores pro-memorialium, in App. NN. 10, 13 reportatarum.

¹⁴ Prolixius de hac re scribit Garampius IR, p. 1353-1356.

¹⁵ Nominationem eiusmodi personarum rex Poloniae saeculo XVIII impetrare studebat, quotiescunque novus nuntius in Poloniam mittebatur, cfr. ex. gr. instructionem Stanislai Augusti factori Polono Romae 13 X 1774 datam, publici iuris factam a G. Platania in "Informationibus" Instituti Pontificii Studiis Ecclesiasticis promovendis, Romae, fasc. 2 (1980), p. 44-46.

¹⁶ Cfr. Bullarium Romanum VII, p. 369-371.

¹⁷ Cfr. W. Leitsch, *Die Bemühungen Zygmunts III. von Polen um die Kardinalswürde für Claudio Rangoni*, MÖSA 31 (1978), p. 41-51. De cardinalatu Visconti et expulsionem Filonardi vide in BV, *Barb.Lat.* 6596 f. 309r-v et BV, *Chigi*, N.III.78 f. 28r-30r; cfr. S. Ciampi, *Bibliografia critica*, T. 2, Firenze 1839, p. 73-77.

¹⁸ Cfr. App. N. 12.

¹⁹ Cfr. Garampi IR, p. 1356. Itaque ab illo tempore, observando regulam ex nuntiatura gradus inferioris ad superiorem promovendi, saepissime ad nuntiaturam Varsaviensem nuntii Colonienses pro-

Inter omnia tamen incommoda et difficultates, quibus recens nominatus legatus vel nuntius obviam ire cogebatur, illa maxima sane fuit difficultas intellegendi peculiaritatem regionis, in qua munere suo fungi debebat. Omnibus enim supranominatis missis pontificiis - una cum auditoribus (iudicibus) nuntiaturae, qui tempore "interregni", a discessu nuntii usque ad adventum successoris, negotia nuntiaturae ad interim curabant - vivendum et agendum erat, usque ad Poloniae partitiones, in peculiaribus rerum, locorum et hominum adiunctis, in Republica illa Utriusque Nationis, ut vocabatur, in qua tamen longe plures quam duae nationes, varias etiam religiones profitentes, habitabant, nam sub uno sceptro Poloni, Lithuani, Rutheni (hodiernae Bielorussiae et Ucrainae incolae), Germani (maior pars civium et oppidanorum, necnon nobilium Pruthenorum et Livoniensium) et minores coetus Iudaeorum, Tartarorum, Armeniorum, una vivebant. Quae omnes nationes varias etiam, ut diximus, profitebantur religiones et diversas confessiones amplexae sunt, quarum principales erant: catholica, orthodoxa, variae confessiones reformatae, necnon religio mosaica et mahometana; ipsi autem catholici in tres ritus dividebantur: Latinum, Graeco-Ruthenum (Unitum) et Armenum.

Haec magna itaque nationum, religionum et confessionum diversitas, cultus etiam civilis varietas, una cum propria et peculiari, quae ex eis excrevit, moderandae rei publicae ratione (cuius propria erant tot populorum foederatio, magnum ordinis nobilium pondus et auctoritas, "specifica" regis et Regni procerum comitia, regis electio), postea autem, finito primo illo omnium gentium bello et Polonia pristinae libertati restituta, copiosum historiae patrimonium et hereditas - effecerunt, ut nuntiatura Polona primo quidem obtutu caeteris omnibus similis esse videretur, re tamen ipsa et oneribus, quibus nuntius apostolicus in Polonia se subicere debebat, omnino diversa esset, et quae a secretariatus pontificii moderatoribus et a nuntiis ipsis maiorem quam in aliis Europae regionibus rerum et hominum intellegentiam, necnon in capiendis consiliis audaciam requirebat. Adhuc medio XVIII saec. scripsit quidam bene informatus "Nuntiaturam Polonam quoad facultates parem esse maxime illustribus, quoad negotia tractanda esse illis forsitan non inferiorem, sed quoad difficultatem in negotiando esse sine dubio superiorem omni alio ministerio, quod Sancta Sedes alicui suo Praelato committere solet"²⁰.

Qua re facile explicatur, cur nuntii apostolici in Polonia, magis quam alibi in Europa, diligenter cognoscere et intellegere conati essent regionem, in qua eis operandum esset, eius incolas, mores et consuetudines, regendae tandem rei publicae rationem in ea receptam et observatam. Plures de his rebus relationes scripserunt, tam nuntii ipsi in Polonia, praesertim saeculo XVI munere

movebantur; cfr. etiam sententiam Leonis Just in *Atti del X Congresso Internazionale di Scienze Storiche*, Roma 1956, p. 173.

²⁰ Cfr. App. N. 27.

functi, quam eorum comites et adiutores. In eiusmodi relationibus non solum res insolitae et singulares enarrantur, quamquam et "mirabilia" descriptiones in eis multae sunt et eo manifestius ostendunt diversitatem et peculiaritatem operae nuntiorum apostolicorum in Polonia²¹. Si enim Alexander Farnesius, Regni Poloniae cardinalis protector, in commentario suo de nuntio a. 1560 in Poloniam mittendo, a candidato imprimis expostulabat, ut Regni naturam ("la natura del Regno") et eius peculiaritatem, praecipue vero gentium et nationum, quae illud inhabitant, varietatem, moderandaeque rei publicae rationis diversitatem cognoscere studeat, non exigit, ut mirabilia discat, sed ut veram et certam rerum cognitionem et scientiam sibi comparare nitatur²². Quod imprimis clare animadvertitur in amplissimis huiusmodi relationibus, scil. *Relatione di Polonia* Iulii Ruggieri a. 1568 scripta²³, *Ragguaglio delle cose di Polonia* (quod postea sub titulo *Vademecum pro nuntiis* melius notum erat) Galeatii Marescotti, a. 1670 compilato²⁴, et in ingenti illo scientiae orbe, annis 1772-1778 duobus voluminibus a Iosepho Garampio composito, in quo omnia Regni Poloniae instituta, saecularia et ecclesiastica, ad amussim describuntur²⁵.

Id genus informationes, quae - Romam transmissae ibique diligenter examinatae - instructionibus pro futuris nuntiis annectebantur, deinde ab his expletae et locupletatae, propterea quoque pro nuntiatura Polona maioris quam pro aliis erant momenti, quod usque ad finem saeculi XVIII nuntiatura haec ex omnibus Sanctae Sedis in Europa nuntiaturis ab Urbe longissime distabat. Haec locorum distantia, asperae, gelidae ac nivosae hiemes, pessimus viarum status, longa et molesta itinera, efficiebant, ut ordinarium epistularum commercium inter Secretariatum Status et nuntios in Polonia, praesertim XVI et adhuc XVII saeculo, in tres hebdomadas, unum mensem, mensem et dimidium vel etiam duos integros menses peregrinaretur²⁶ et ad consilia, praesertim in urgentioribus negotiis, tempestive capienda non semper utile esset.

Quod singulae nuntiaturae in rebus publicis tanti momenti et ponderis fuerunt, inde ortum est, quod illarum negotia cum negotiis Italiae et Ecclesiae dominiorum, quorum pontifices Romani erant domini, saepe coniuncta

²¹ Iam in descriptione itineris primi nuntii, Zachariae Ferreri, ex Polonia in Lithuaniam facti, multa eiusmodi mirabilia continentur, vide eiusdem *Vita Beati Casimiri Confessoris ex Serenissimis Poloniae Regibus et Magnis Lithuaniae Ducibus clarissimi*, [Cracoviae] 1521, f. A8r-B2v.

²² Cfr. App. N. 4. Alia optime exarata descriptio peculiaritatum regiminis Poloni medio XVIII saec. facta fuit, ut videtur, ab Alberico Archinto (App. N. 27). Cfr. etiam App. N. 8.

²³ Editio textus originalis praeparatur; in versione Polonica ed. Rykaczewski, *Relacye*, T. 1, p. 165-216.

²⁴ Cfr. infra, p. 39 et cap. II, p. 134.

²⁵ De *Indice rerum* Garampii cfr. infra in cap. II, p. 84-87.

²⁶ Accidebat tamen, sed raro, ut etiam spatio unius hebdomadae litterae Roma Cracoviam transmitterentur, cfr. litteras Visconti ad S. Borghese, 8 II 1631, AV, *Nunz. Pol.* 42 f. 142r. Pro saeculo XVIII vide App. N. 31.

erant²⁷. Nuntiatura itaque Polona, tum ob suum situm et positionem, tum ob moderandae rei publicae modum et rationem, ad illas partes aspirare non poterat, quas Vindobonensis, Parisiensis et Matritensis, necnon gradu inferiores nuntiaturae Italicae (Veneta, Neapolitana, Florentina et Sabauda), obtinebant, quae negotiis paeninsulae Italicae directe implicatae erant. Iam ipse situs Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae, quae a meridie continuis Turcarum et Tartarorum incursionibus vexabantur, ab oriente vero periculis ex parte crescentis in dies potentiae schismaticaе Moscoviae, a septentrione denique non minori fortassis periculo ex parte protestanticae Suetiae, maris Baltici dominium ambientis (postea etiam ex parte pariter protestanticae Prussiae), exponebantur, nuntiatuam Polonam in prorsus diversis collocavit rerum et personarum adiunctis, ubi pontifex Romanus nonnisi "patris communis" munere fungi et in conflictibus illius regionis partes conciliatoris et societatis bellicae contra Turcas instituendae promotoris suscipere solebat. Praeparatio igitur communis expeditionis bellicae adversus Turcas et promotio Poloniae ad functionem "antemuralis Christianitatis"²⁸, Sedi Apostolicae maxime cordi erant et ad nuntiorum apostolicorum in Polonia praecipua munera et officia pertinebant, et quidem ab ipsis nuntiaturae Polonae initiis usque ad "negotii Turcici", ut aiunt, prima parte saeculi XVIII extinctionem. "Di questo Regno la Sede Apostolica ha più bisogno di qualsivoglia altro per distruggere il Turco" - scripsit curialis quidam non nominatus in "pro-memoria" a. 1606 data²⁹. Iam Zacharias Ferreri a. 1519 in Poloniam eo imprimis profectus est, ut in controversia inter Sigismundum I et Ordinem Theutonicorum ac Moscovitas intercedente conciliatorem ageret, spe concepta regem Poloniae societati bellicae contra Turcas, a Leone X pontifice maximo instituendae, praefuturum esse. Eadem provincia subsequenti nuntio, Thomae Nigro (Crnić)³⁰, multisque eius successoribus demandata est. Medio tandem saeculo XVII, praeter hanc provinciam, nuntiis additum est munus tradendi pecunias "per li sussidi della guerra contro il Turco" collectas³¹.

Toto illo tempore omnis actio politica Sedis Apostolicae erga Poloniam

²⁷ Cfr. Paolo Prodi, *Il Sovrano Pontefice. Un corpo e due anime: la monarchia papale nella prima età moderna*, Bologna 1982, p. 312-313.

²⁸ Cfr. Janusz Tazbir, *Przedmurze jako miejsce Polski w Europie* [Antemurale - locus Poloniae in Europa], in eiusdem: *Rzeczpospolita i świat* [Respublica Polona et mundus], Wrocław-Warszawa 1971, p. 63-78.

²⁹ Vide App. N. 8; cfr. etiam App. N. 7 (n.9).

³⁰ Cfr. documentationem legationum Zachariae Ferreri et Thomae Nigri (Crnić) in Tab. II/1-2.

³¹ Accurati indices summarum a nuntiis annis 1675-1692 traditarum (7 fasciculi) servantur in AS Romae, *F.Camerale* II. Nunziature 8, n. 15. Accuratus elenchus "dei sussidi rimessi dalla Santità di Nostro Signore Innocenzo XI a Mons. Pallavicini Nunzio Apostolico in Polonia per esser impiegati nella presente guerra contro Turco et impiego de' medesimi" ex annis 1684-1686 invenitur in *Biblioteca Comunale* in Foro Corneliai (Imola) (ms. 64 f.1-57). De subsidiis antea a Polonis requisitis vide App. N. 8. De actionibus Martelli vide Z. Wójcik, *Rzeczpospolita wobec Turcji i Rosji, 1674-1679*, Wrocław 1976.

dictabatur foedere illo summorum pontificum cum Familia Austriaca adversus periculum Turcicum inito. Tunc etiam, cum Sedi Apostolicae cum imperatoribus controversia erat negotiorum Italicorum causa, nuntiis apostolicis in Polonia iniungebatur, ut communicato cum aula imperiali consilio agerent munusque suum explerent³². Quo factum est, ut inter nuntiaturam Vindobonensem et Poloniam singularis societatis vincula orientur, ita ut saeculo XVI non pauca negotia Polona a legatis vel nuntiis penes aulam imperialem constitutis expedirentur³³, quorum nonnulli apud utramque aulam eodem tempore munere suo fungerentur³⁴; postea vero, saeculo XVII et praesertim XVIII, nuntii Poloni directe ad Vindobonensem nuntiaturam promoverentur³⁵.

"Negotium Turcicum" minorem vim habuit in instituendis arctioris societatis vinculis inter nuntiaturam Poloniam et Venetam (quae praeterea officia sua praestabat in acceleranda litterarum missione Roma in Poloniam et vice versa), quamquam interdum, periculo Turcico magis imminente, satis arcta inter eos coniunctio intercedebat³⁶. Epistularum commercium et mutua consiliorum communicatio inter nuntios apostolicos in Polonia et illos, qui in reliquis Europae regionibus fuerunt, excepto litterarum commercio inter Fabium Chigi et nuntium in Polonia Ioannem de Torres, annis 1645-1648 habito, cum de Pacis Westphaliensis condicionibus tractaretur³⁷, satis rara fuerunt.

Quod summi pontifices, per nuntios suos Poloniam ad bellum cum Turcis gerendum totis viribus pertrahere conati sunt, quod multas ob causas Poloniae incommodum erat (quod nuntius Iulius Ruggieri validis argumentis demonstravit, in oratione, qua explicabat, cur Poloni ad eiusmodi bellum suscipiendum minus inclinati essent)³⁸, ex eo promanavit, quod eiusmodi conamina non solum Domui Austriacae, proxime imminentem incursionem Turcicam metuenti, omnino placebant, sed etiam Magno Moscoviae Ducatui, qui inde ab a. 1492 bello cum Polonia gerendo implicatus erat, non erant ingrata. Magnorum ducum (qui a. 1547 titulum imperatoris totius Russiae

³² Cfr. ex. gr. orationem Ioannis Francisci Cito "coram Imperatore et Electoribus pro bello suscipiendo contra Turcas" habitam, BV, *Vat. Lat.* 3924 f. 367r-370r.

³³ Eiusmodi mandata certo obtinebant nuntii Vindobonenses prima saeculi XVI parte, cum in Polonia nuntii pontificii nondum adessent; cfr. ex. gr. NBD VI: *Nuntiaturen des Vergerio 1533-1536*, bearb. von W. Friedensburg, Gotha 1892, passim.

³⁴ Legatus Laurentius Campeggi (1524), nuntius Hieronymus Rorario (1539), nuntius Aloisius Lippomano (1555/6), legatus Ioannes Franciscus Commendone (1572/3).

³⁵ Cfr. supra, p. 6.

³⁶ Ex. gr. Nigro annis 1522-1523 demandata erat missio negotii Turcici causa apud senatum Venetum et penes aulas Hungariae et Poloniae, cfr. H. D. Wojtyška, *Toma Crnić, jedyny Słowianin-nuncjusz w Polsce, 1522-1523* (vide Bibliographiam).

³⁷ Cfr. BV, *Chigi*, A.II.29 f. 119r-141r et B.I.3 f. 662r-759v.

³⁸ Servatur in BV, *Urb. Lat.* 855 f. 326r-348r.

sibi asciverunt) promissiones, per integrum saeculum XVI, saepissime aula imperiali Austriaca interprete, iterum atque iterum factae, belli contra Turcas movendi, immo unionis ecclesiasticae cum Ecclesia Romana ineundae, si pontifices Romani regem Poloniae ad mitiora consilia adducerent, Sedi Apostolicae spem vanam faciebant ambos sibi invicem infensos principes, dominum Moscoviae et regem Poloniae, tam ad societatem armorum contra Turcas pertrahendi, quam unionem ecclesiasticam cum orientalibus contrahendi. Hinc originem ducunt legationes illae pontificiae extraordinariae in Moscoviam, quae ab ineunte saeculo XVI semel atque iterum suscipiuntur, ipsa rerum natura cum nuntiatura Polona arctissime coniunctae (inter quas maioris momenti fuerunt missiones Francisci Cito de Potentia a. 1526-1527, Antonii Possevini a. 1581-1582, Alexandri Komulović a. 1595-1596 et Ioannis Andreae Archetti a. 1783-1784 peractae)³⁹; eandem quoque ob causam, praesertim saeculis XVII et XVIII, cum directae legationes factae sunt rariores, nuntiis apostolicis in Polonia saepius negotia committebantur cum Russia et Moscovia quodammodo connexa, donec tandem nuntiatura Russiae Petropoli a. 1795 institueretur.

Summatim tamen dicendum est, peculiaritatem nuntiaturae Polonae multo clarius et manifestius perspicui posse in rebus religionis et confessionum religiosarum, quam mere politicis. Reformatio enim a Martino Luthero inchoata ad institutum ipsum nuntiaturarum apostolicarum stabiliendum ac confirmandum multum contulit⁴⁰. Animadvertendum itaque est primos duos nuntios, annis 1519-1523 societatis bellicae contra Turcas instituendae causa in Poloniam missos, Zachariam Ferreri et Thomam Nigrum, maiore studio atque diligentia adlaboravisse, ut Lutheri doctrinam debellarent, quam ut negotia expedirent, quae eis imprimis demandata essent. Immo Niger a Sigismundo I rege impetravit etiam primum edictum publicum (7 III 1523 a.), quo propagatio librorum et doctrinae Reformatoris Vitembergensis in Polonia severe interdiceretur⁴¹. Quod tamen decretum, et nonnulla alia, quae illud subsecuta sunt, non impediverunt, quominus reformatio Polono-Lithuanae locorum et hominum adiunctis fieri potuit.

Ad reformationis religiosae, a Luthero inceptae, in Polonia originem et augmentationem, si pontificum Romanorum oculis rem contempleris, maximi sane momenti fuerunt:

1) Reditus ad statum laicalem, quem vulgo saecularisationem vocant, magni magistri et totius Ordinis S. Mariae Theutonicorum in Prussia, qui assensu regis Poloniae, cuius Ordo, in Ducatum Prussiae transformatus, a.

³⁹ Cfr. Tab. II/5, XI, XVI et LIV.

⁴⁰ Cfr. P. Prodi, *Diplomazia del Cinquecento*, Bologna 1963, p. 135.

⁴¹ Cfr. Wojtyńska, *Toma Crnić*, p. 145; vide etiam Ferreri *Orationem...de eliminandis e Regno Poloniae erroneis et contagiosis traditionibus Fratris Martini Luteri* (ut in Tab. II/1).

1525 publico et sollempni actu factus est feudatarius, "novam fidem" amplexus est. Qui publicus regis catholici assensus, rei publicae Poloniae commodorum rationem habens (quo scil. per unum et dimidium saeculum fines Poloniae a septemtrionali plaga tuti et securi remanserunt), novae fidei professionem non solum permisit, sed etiam re ipsa effecit, ut eam feudi dominus sub tutelam ac praesidium suum assumeret; exemit praeterea Ordinem olim Theutonicorum e directa potestate et iurisdictione summi pontificis et imperatoris, ad quos antea, cum in controversia et bello cum Polonis fuissent, magni Ordinis magistri semper confugerunt. Quam ob rem ille novi Ducatus Prussiae ad religionem reformatam transitus, quaestio non solum religiosa, sed etiam politica fuit, quae Sedem Apostolicam magna cura et sollicitudine de regione illa afficere debuit. Ex quo enim tempore nuntius Ioannes Pulleoni Clementem VII admonuit maximi ponderis et momenti, quod in negotio religionis et in publicis quoque rebus conventio illa Cracoviensis a. 1525 celebrata, quam Homagium Pruthenicum etiam vocant, assecuta est⁴², usque ad interpellationem nuntii Vincentii Dal Portico reclamantis, ne - primo duce Prussiae Alberto marchione Brandenburgensi, magno Ordinis olim magistro, a. 1568 mortuo - infeudatio Ducatus a rege Poloniae renovaretur⁴³, omnes fere Sedis Apostolicae in Polonia nuntii magna semper vigilantia et diligentia secuti et contemplati sunt, tum quod timuerunt, ne similis rerum permutatio in Livonia quoque instaurari posset (quod re vera a. 1561 evenisse constat, cum reliqua Ordinis pars ad statum laicalem redire statuisset et, feudum regis Poloniae facta, Ducatum saecularem Curlandiae condidisset), tum quod imprimis frenare voluerunt celerrimam doctrinae Lutheranae propagationem, quam etiam in Polonia et Lithuania summo studio et zelo neophyti proprio Albertus marchio Brandenburgensis, Ordinis Theutonici olim magister, postea primus dux Prussiae, regis Poloniae feudatarius, promovere conabatur⁴⁴.

2) Nobilium Polonorum, pontificis Romani auctoritatem repudiantium, ad Ecclesiam Nationalem instituendam quaedam proclivitas et propensio, qui tamen Germanam Lutheri confessionem amplecti repugnabant. Ista ad nationalem religionis catholicae formam et rationem inclinatio, medio saeculo XVI orta, non nimis diuturna quidem fuit (cuius maxime fanatici fautores doctrinam Calvinii tandem amplexi sunt), sed cum a. 1556, cum talis inclinatio in Polonia culmen suum consecuta esset, Sigismundus Augustus rex a Paulo IV summo pontifice postulasset, ut concilium nationale, linguam Polonicam in liturgia, Eucharistiae sacramentum sub utraque specie et caelibat-

⁴² Cfr. epistolam Pulleoni ad I. Sadoletum, 26 IV 1525, ed. Fraknoi ROP, p. 171-175.

⁴³ *Protestatio contra investituram Ducis Prussiae* ex mense julio 1569, ed. Theiner VMPL II, p. 740.

⁴⁴ De ardore in hac re ducis Alberti testificatur eius litterarum commercium cum Polonis, quod a C. Lanckorońska et L. Olech in *Elementis ad fontium editiones* Romae publicatur, vol. 51-57, 60-63, 65-69, 72-73. De periculis, quae inde exoriebantur vide App. N. 2.

tus clericorum abrogationem sibi concederet, eiusmodi regis postulatis imprimis factum est, ut Aloisius Lippomano per duos annos in Polonia retentus esset eiusque successores, nullo inter singulas nuntiaturas temporis intervallo interposito, tempestive in Poloniam mitterentur⁴⁵. Factum est etiam, ut Romani pontifices maiorem ordinis nobilium rationem habere coepissent, ex quo futurus religionis in Polonia status et condicio magna ex parte pependit. Nuntii enim Berardi Bongiovanni (1560-1563), qui primus demonstravit, quam magni momenti in hac re fuerit nobilitas Polona, industriae et diligentiae eiusque successorum conatibus, ut de Societatis Iesu sodalium opera taceamus, attribuire possumus magnam partem meriti de ingenti illo nobilium Polonorum exeunte saeculo XVI ad Ecclesiam Catholicam reditu et de summo eorum studio et ardore, quo in debellanda Reformatione subsequenti saeculo exarserunt⁴⁶.

3) Celerrima doctrinae antitrinitariorum (quos in Polonia Fratres etiam Polonos vocabant) propagatio, quae annis 1560-1562 ex discordia inter Polonos Calvini sectatores, advenarum Italarum opera orta, excrevit. Quae secta, rei socialis et religionis commutandae studiosa, quae usque ad dimidium saeculum XVII in Polonia floruit, quam tum catholici tum protestantes acriter debellabant, a nuntiis attentissime observabatur, tum quod artis vinculis cum Italis coniuncta erat⁴⁷, tum propter pondus et momentum, quod in labefactanda et debilitanda Reformatione in Polonia habere potuit, quod iam a nuntio Ioanne Commendone (1563-1565) notatum est⁴⁸.

In hac mirabili sectarum et doctrinarum colluvie, quae condicionis Polonae tempore Reformationis propria erat, nuntiorum imprimis fuit consolidare et corroborare illos, qui Romae fideles manserunt, et hoc ab eis postulabatur etiam a rege Sigismundo Augusto et capitulis cathedralibus, quibus vera Ecclesiae reformatio et defensio difficillimis illis temporibus maxime cordi fuit⁴⁹. Summam sane laudem meruerunt illius temporis pontifices, qui religionem catholicam in Polonia totis viribus defendendam servandamque esse sibi bene conscii fuere et ad regis aliorumque preces statim responderunt mittendo ad nuntiaturam Polonam optimos et maxime eximios, quos ad manum habuerunt, viros (Aloisium Lippomano cum Societatis Iesu sodali Salmerone a. 1555; Petrum Canisium, eiusdem Societatis sodalem, qui Camil-

⁴⁵ Cfr. Wojtyska PP, p. 354-364.

⁴⁶ Cfr. accuratum studium Godefridi Schramm, *Der polnische Adel und die Reformation, 1548-1607*, Wiesbaden 1965; de opera Berardi Bongiovanni inter nobiles Polonos cfr. Wojtyska PP, p. 137-147.

⁴⁷ Cfr. L. Chmaj, *Bracia polscy. Ludzie, idee, wplywy* [Fratres Poloni. Homines, ideae, influxus], Warszawa 1957; D. Caccamo, *Eretici italiani in Moravia, Polonia, Transilvania (1558-1611)*, Firenze 1970.

⁴⁸ Cfr. eius litteras ad card. Carolum Borromaeum, Heilsbergae 6 VII 1564, BV, *Barb.Lat.* 5798 f. 351v-352r, 354r.

⁴⁹ Cfr. Appendices N. 2-4; cfr. Wollek, p. 169-170.

lum Mentovato comitatus est a. 1558; Berardum Bongiovanni a. 1560; Ioan- nem Franciscum Commendone annis 1563 et 1572)⁵⁰. Post aliquot infortu- nia, initio accepta, quae ex difficultate intellegendi peculiarem et insolitam "Reipublicae Nobilium" conformationem provenerunt (Lippomano), postea nuntii munus suum tam egregie expleverunt, ut Godefridus Schramm in opere suo, quod de Reformatione in Polonia et regionibus ei adiacentibus scripsit, asseverare non dubitaverit nuntios illos in Republica Utriusque Nationis plus effecisse quam in aliis regionibus, quarum historiae cognoscendae ipse operam dabat⁵¹.

Rerum gestarum studiosi inter se omnino consentire videntur tempore illo, quo Reformatio Lutherana a catholicis debellabatur (vulgo "Controriforma"), in occidentalis Europae regionibus pondus et auctoritatem nuntiaturarum apostolicarum nonnihil decrevisse⁵². Nuntiatura autem Polona, quae hac ex parte adhuc accuratius investiganda esse videtur, ex hac auctoritatis suae imminutione servata est propter nonnullos magni momenti eventus publicos, quibus tunc Sedes Apostolica maiore vel minore fortuna per nuntios suos interfuit. Praeter enim aliquot "contrareformationis" internae successus, ex. gr. cum catholici aliquot loca in senatu et rei publicae administratione, quae eis a nobilitate Calviniana erepta erant, recuperavissent, cuius rei nuntii apostolici semper diligentem et assiduum curam habuerunt⁵³, imprimis nominandi hic sunt eventus quidam externi, quorum alter alterum temporis ordine sequebatur:

1) conatus Livoniam, quae a. 1569 in Rem Publicam Polonam et Lithua- nam inserta erat, ad Ecclesiam Catholicam iterum reducendi. Nuntii enim, praesertim Ioannes Andreas Caligari (1578-1581) et Albertus Bolognetti (1581-1585), in instituenda illic stabili administratione ecclesiastica et eri- gendo novo episcopatu (Vendensi), qui a. 1582 a Sede Apostolica instauratus est, regi assiduo collaboraverunt⁵⁴.

⁵⁰ Iam initio saeculi XVII informator quidam in Curia Romana existimabat eiusmodi periculis "difficilmente si puole porgere rimedio da Roma, salvo che col mandare nuntii che siano dei soggetti più qualificati che trovarsi possano, et soprattutto integerrimi nelle cose di giustizia et gratia", BV, *Ottob.Lat.* 2206 f. 163v. De qualitatibus nuntii in Poloniam mittendi et de eius modo agendi vide App. NN. 2-7.

⁵¹ Schramm, p. 209.

⁵² Cfr. L. Just, *Die Erforschung der päpstlichen Nuntiatoren*, QFIAB 24(1932-1933), p. 247.

⁵³ Cfr. instructionem pro Berardo Bongiovanni ex a. 1560 (Mediolani, Bibl. Trivulziana, ms. 1132 f. 6r-7r). A. 1599 nuntius Rangoni a rege petere debebat, "perché non conferisca in avvenire li Palatinati, né Capitaneati all'heretici, né che promova simil persone in Senato, né meno nelli offitii di Maestrato per le Provincie", App. 7 (n. 5, cfr. etiam n. 23, 25-26). Adhuc a. 1671 card. Petrus Vidoni censebat, quod "non lasciar avanzare l'Eretici più di quel che sono" efficit primum opus nuntiorum in Poloniam mittendorum (App. N. 13); et adhuc ad finem saec. XVIII committebatur illis imprimis "a far mantenere la legge che i Protestanti restin esclusi dalle dignità e posti onorifici de la Corte e del Regno" (App. N. 27).

⁵⁴ Vide litterarum commercium Caligarii et Bolognetti ed. a Boratyński CEA et Kuntze-Nanke BEA (passim). Cfr. E. Kuntze, *Utworzenie biskupstwa wendeńskiego przez Stefana Batorego* [Fundatio episcopatus Vendensis a Stephano Batory], in: *Studia historyczne ku czci Stanisława Kutrzeby* [Studia his-

2) Temptamina Suetiam ad catholicam religionem reducendi, iam a Ioanne III rege (1568-1592), Catharinae, sororis ultimi ex stirpe Iagellonica Poloniae regis, coniuge, inchoata (legationibus scil. Antonii Possevini annis 1577-1580 peractis)⁵⁵, annis 1592-1604 crebriora et strenuiora facta sunt, cum Sigismundus III, Ioannis et Catharinae filius, ab a. 1587 rex Poloniae, regno etiam Suetiae potitus est. Per unionem personalem, ut aiunt, utriusque regni spatium iurisdictionis nuntiaturae Polonae amplificatum est et ad non exiguam Scandinaviae partem sese extendit ita, ut nuntiis Germanico Malaspina (1592-1598) et Claudio Rangoni (1599-1606) nova accesserint officia fidei catholicae praeconum, quorum primus a. 1593 una cum rege in Suetiam quoque profectus sit⁵⁶. Quamvis "casus" ille Sueticus infeliciter cesserit et Sigismundus III a. 1604 regno illo destitutus sit, unde infausta illa et funesta inter Suetiam et Poloniam bella initium sumpserunt, quorum posteriores nuntii nonnisi spectatores esse potuerunt, summam tamen dici potest auctoritatem nuntiaturae apostolicae tempore illo auctam esse⁵⁷.

Eo vel magis, quod etiam tunc temporis vis et auctoritas Poloniae in Moldaviam et Valachiam ita creverunt, ut a. 1591 vetusta dioecesis catholica Argensis ibi sit restituta (quae postea Bacoviensis vocabatur), metropoli Leopoliensi subiecta. Quo factum est, ut initio saeculi XVII iurisdictionis nuntiorum in Polonia residentium iterum amplificata sit, sicut luce clarius apparet ex illorum, praesertim Claudii Rangoni, litterarum commercio⁵⁸.

3) Principum Saxoniae ad religionem catholicam conversio. Cum enim a. 1697 Fridericus Augustus I, dux elector Saxoniae, quae inde ab initio fidei reformatae tota adhaesit, Poloniae catholicae rex electus esset, religionem catholicam et ipse amplecti debuit, ut legibus et statutis in Polonia vigentibus satisfaceret. Quamquam enim praeterita iam erant tempora, cum principes subditis suis religionem, quam ipsi profiterentur, imponere possent, et neque Fridericus Augustus I (quem in Polonia Augustum II vocabant), neque filius eius Fridericus Augustus II (in Polonia Augustus III), qui annis 1697-

torica in honorem Stanislai Kutrzeba], T. 2, Kraków 1938, p. 443-467; J. Fijałek, *Kościół rzymsko-katolicki w Inflantach pod władztwem polskim (1582-1772/95)* [Ecclesia Romano-Catholica in Livonia sub dominio Polono], "Kwartalnik Teologiczny Wileński", 1/2 (1923/4), p. 177-198.

⁵⁵ Cfr. O. Garstein, *Rome and the Counter-reformation in Scandinavia until the establishment of the Congregatio de Propaganda Fide in 1622*, T. 1, Oslo 1963.

⁵⁶ Cfr. relationem Germanici Malaspina de itinere in Suetiam (ed. Pastor SP XI, p. 742-751); cfr. J.A. Pärnänen, *Le premier séjour de Sigismund Vasa en Suède 1593-1594 d'après la correspondance diplomatique du nonce apostolique Germanico Malaspina*, Helsinki 1912. In "pro-memoria" a. 1599 suadebatur, "che si commetta al Nuntio che impatronandosi il Re del Regno di Suetia ne piantasse subito in esso la vera predicatione del Santo Evangelio", App. 7 n. 30.

⁵⁷ Cfr. infra, cap. II, p. 135.

⁵⁸ Vide eius et successorum epistulas publicatas a Buta et Vasiliu (cfr. Tab. XVII et XVIII). Cfr. App. N. 7 (n. 19, 24). Etsi a. 1622 Congregatio Propagandae Fidei exemerit Moldaviam et Valachiam a iurisdictione nuntii Poloni et eas nuntio Vindobonensi assignaverit (cfr. Welykyj ACPF I, p. 7), tamen ius processus informativos instituendi pro candidatis ad episcopatum Bacensem adipiscendum remansit penes nuntium in Polonia usque ad finem saec. XVIII, sicut acta processuum in AV, AC testantur.

1763 Saxoniam et Poloniam unione personali invicem coniunxerunt, vix in animo habuerunt subditos suos Saxones, reformatae religioni adhaerentes, ad fidem catholicam convertere, nihilo tamen minus summi pontifices illius temporis nuntiis suis firmiter iniungebant, ut in ambienda et retinenda Regni Poloniae corona eos contra candidatum Polonum, Stanislaum Leszczyński, foverent totisque viribus adiuvarent, vana spe concepta hoc reditum Saxoniae in sinum Ecclesiae Catholicae faciliorem redditurum esse⁵⁹. Res plane manifesta est, hac personali coronae Saxonicae et Polonae unione nuntiaturae Varsaviensis iurisdictionem, cum detrimento Coloniensis, iterum amplificatam esse⁶⁰.

Instrumentum et "potens brachium" Sedis Apostolicae in eradicanda in Polonia religione reformata esse debuerunt seminaria pontificia Braunsbergae (Braniewo) a. 1579 et Craslaviae (Krasław) a. 1757 instituta, quorum munus praecipuum fuit erudire et formare sacerdotes, qui protestantes Prussiae, Livoniae et Scandinaviae ad fidem catholicam rursus amplectendam adducturi essent. Seminaria illa Congregationi de Propaganda Fide et iurisdictioni nuntiorum directe subiecta erant, qui curam eorum in omnibus habuerunt et Sedem Apostolicam de eorum ordinatione et disciplina, de alumnis et magistris diligenter edocere debebant⁶¹.

Similem ordinationem habuerunt seminaria pontificia Vilnae (a. 1582), Leopoli (1665 a.) et in Świerżeń (1743) instaurata⁶². Quorum tamen munus imprimis fuit instituere et erudire sacerdotes, qui Ruthenorum et Armeniorum unioni cum Ecclesia Catholica apparandae operam daturi erant. Per unionem enim Ecclesiae Orthodoxae cum Romana, a. 1596 Brestae in Lithuania initam, iurdictio nuntiorum apostolicorum in Polonia sese extendit ad amplam, a. 1772 plus quam quadragies centena et quingenta milia fidelium comprehendentem Ecclesiam, cui propria aderat ordinatio hierarchica (8 dioeceses seu eparchiae), proprius sacrorum ritus, propria tandem cultus civilis memoria⁶³. Difficillimum sane et acerrimum certamen, quod saeculorum de-

⁵⁹ Cfr. P. Hildebrandt, *Die polnische Königswahl von 1697 und die Konversion August des Starken*, QFIAB 10 (1907), p. 152-215; quantum haec res pontificibus Romanis cordi fuerit, testimonium est instructio (AV, F.Albani 195 f. 143r-144v) et litterarum commercium nuntii Iulii Piazza (1706-1708), quod a Ioanne Kopiec typis edendum paratur.

⁶⁰ Cfr. memoriale nuntii Coloniensis Caesaris Alberici Lucini, a. 1766 scriptum, a Leone Just publicatum (*Die Erforschung*, p. 264).

⁶¹ Maxima pars documentorum, ad relationes nuntiorum cum supranominatis seminariis attentium, servatur in Archivo Historico Congregationis de Propaganda Fide (in seriebus *Collegi Vari et Visite e Collegi*) et in Archivo Secreto Vaticano (*Arch.Nunz.Vars.* 7-12AA, cfr. Meysztowicz ANV, p. 46).

⁶² Cfr. ibidem. De seminariis in genere vide J. Poplatek, *Seminarium papieskie w Wilnie*, Wilno 1930; J. Pielorz, *La S. Congregazione e la Chiesa Latina in Polonia nel sec. XVIII*, in: SCPF Memoria Rerum II, p. 787-789.

⁶³ Cfr. L. Bieńkowski, *Organizacja Kościoła Wschodniego w Polsce* [Organisatio Ecclesiae Orientalis in Polonia], in: *Kościół w Polsce* [Ecclesia in Polonia], red. J. Kłoczowski, T. 2, Kraków 1970, p. 781-

curso Ecclesiae Unitae de servanda sua propria indole et natura, a Latina catholicitatis forma diversa, ex una parte intercedebat, ex altera vero acerbitalis et doloris plena de libertate et legibus propriis defendendis cum Ecclesia Orthodoxa contentio, effecerunt, ut nuntii apostolici penes aulam regiam Poloniae saeculis XVII et XVIII constituti peculiariter, ab aliis diversa munera obire explereque cogentur (quae partim nuntiis etiam Vindobonensibus committebantur). Quam ob rem ex litterarum commercio, quod nuntiis in Polonia cum Sacra Congregatione de Propaganda Fide intercedebat, multo maiorem rerum temporis illius notitiam haurire et plura discere possumus⁶⁴, quam ex taedium, ut ferunt, spirantibus epistulis nuntiorum, qui in Europae Occidentalis regionibus eodem tempore fuerunt⁶⁵.

Idem dicendum est de muneribus et officiis nuntiorum cum Ecclesia Armena coniunctis, quae inde a saeculo XVI in unionem cum Ecclesia Romana ineundam propendebat, quam demum nonnisi a. 1681 sollemniter contraxit⁶⁶. Res manifesta est, de rebus Ecclesiae Armenae multo rarius in epistulis nuntiorum tractari propter exiguum in comparatione cum Ruthenis, Armeniorum, qui tum in Polonia vivebant, numerum. Singulares etiam fuerunt Iudaeorum in Polonia medio saeculo XVIII collectivae ad religionem catholicam conversiones (actio antitalmudica Iacobi Iosephi Frenk, a quo Frenkistae nomen ducunt), quibus nuntii N. Serra et A. E. Visconti magno studio et diligentia interfuerunt⁶⁷.

Iam Ignatius Dengel notavit epistulas nuntiorum, qui aetate illa fuerunt, quam Illuminatam vel Luminum vocant, plus valere, si informationes respicias, quas ex eis haurire possis, quam aliorum nuntiorum antecedentium⁶⁸. Dengel ipse personae Iosephi Garampi penitus cognoscendae diligenter incubuit, praesertim vero primam eius missionem in Germania peractam (1761-1763) et nuntiaturam Vindobonensem (1776-1785) accurate exploravit⁶⁹. Cum ille eruditissimus nuntius ex Varsaviensi (1772-1776) ad Vindo-

1049; cfr. A. Baran, *Propaganda's concern for the Church in Ukraine and Bielorrussia*, in: SCPF Memoria Rerum I/2, p. 226-238.

⁶⁴ Cfr. *Litterae nuntiorum apostolicorum historiam Ucrainae illustrantes (1550-1850)*, ed. A. Welykyj, Vol. 1-14, Romae 1959-1977.

⁶⁵ Cfr. Just EPN p. 248.

⁶⁶ Cfr. G. Petrowicz, *La Chiesa Armena in Polonia*, Roma 1971. Documenta ad Armenios spectantia in commercio litterarum nuntiorum sparsa sunt, partim tantum aliquot collectiones in unum redactae in Archivo S. Congregationis de Propaganda Fide (SOCG, mss. 224-225) et in Archivo Vaticano (*Arch. Nunz. Vars.* mss. 136, 139, 146, 149, 149AA; vide Meysztowicz ANV p. 72-79) asservantur.

⁶⁷ Vide documenta in AV, *Arch. Nunz. Vars.*, ms. 94 collecta. Excerpta ex epistulis Serrae ad "Motum Frankistarum" spectantia ed. Theiner VMPL IV/2, p. 151-165. Cfr. A. Kraushar, *Frank i Frankiści Polscy, 1726-1816. Monografia historyczna*, T. 1, Kraków 1895, p. 138-230 passim; M. Bałaban, *Studien und Quellen zur Geschichte der frankischen Bewegung in Polen*, in: *Livre d'hommage à la mémoire de Dr S. Poznański*, Warszawa 1927, p. 25-75.

⁶⁸ Cfr. opinionem Leonis Just in: *Atti del X Congresso*, p. 171.

⁶⁹ Publicationes eius memorat J. Wodka, *Garampi Joseph*, in: *Lexicon für Theologie und Kirche*, Bd 4, Freiburg 1960, p. 515.

bonensem nuntiaturam translatus sit, merito illius temporis doctrinarum et motuum in Polonia idoneus et legitimus testis atque etiam particeps existimari potest (nullo facto discrimine, quomodo ipse eos iudicaverit)⁷⁰.

Ad res publicas quod attinet, nuntii apostolici in Polonia testes sunt stabiles eorum, quae pedetemptim ad ruinam Reipublicae Polono-Lithuanae et ad eius inter vicinos partitiones, annis 1772, 1793, 1795 factas, adduxerunt. Propter peculiarem rei publicae moderandae rationem, in Polonia illo tempore receptam, pondus et auctoritas nuntiorum augebantur, quotiescumque electio novi regis vel comitia regni celebrabantur, quae de omnibus statuabant (vel potius statuere sibi reservatum habebant)⁷¹.

Singularis autem difficultas muneris nuntiorum apostolicorum in II Republica Polona (post a. 1918) in eo constitit, quod ex una parte componere cogebantur dissensiones et dissidia, inter varias nationes et gentes a Republica Utriusque Nationis hereditate acceptas, ex orientia, ex altera vero Ecclesiae Catholicae in novis rerum et temporum adiunctis tutam et securam reddere actionis et vitae continuationem, quam temporibus actis semper in Polonia praestiterunt⁷².

2. De scriptorum generibus

Documenta, in cancellariis nuntiorum vel illorum, qui eos in explendo munere adiuvant, prolata, in haec quae sequuntur genera dividi possunt:

1) **Litterae (actus) nominationis**, quae nominato in forma brevis pontificii tradebantur. Non omnes nuntii apostolici in Polonia eiusmodi brevina obtinebant, praecipue si eorum nominatio in consistorio facta erat et in eius acta relata⁷³. Praeterea saeculis XVII et XVIII sufficere putabatur mera eius annotatio in prooemio brevis, facultates seu praerogativas nuntii continentis, quod fuit sui generis tessera recognitionis nuntii⁷⁴ - et saepe, nulla habitatione veri temporis, quo nominatio facta est, nominatum certiore reddere

⁷⁰ Lucas Kurdybacha arbitratur Garampium erga Commissionem Educationi Nationali praestitutam se moderatum conservatorem exhibuisse (*Kuria Rzymaska wobec Komisji Edukacji Narodowej w latach 1777-1783* [Curia Romana de Commissione Educationis Nationalis quid annis 1777-1783 senserit], Kraków 1949, p. 44).

⁷¹ Cuius rei vel testis est sectio *Dietae Regni* in Archivo Nuntiaturae Varsaviensis, quod nunc in Archivo Vaticano servatur, 16 volumina actorum Comitiorum Polonorum continens (mss. 13-28); cfr. Meysztoewicz ANV p. 47-49.

⁷² Vide commercium litterarum Achillis Ratti (quod adiri potest) in AV, *Arch.Nunz.Vars.*, mss. 192-207. Laurentius Lauri apparando concordatui anni 1925 adlaborabat. Cfr. Wyczawski NA passim.

⁷³ Ex. gr. nominatio Berardi Bongiovanni, vide CT II, p. 221.

⁷⁴ Cfr. infra, p. 24.

bat eum ad munus nuntii obeundum promotum esse die, quo breve ipsum editum erat⁷⁵. Notandum est tamen fere omnes nuntios multo prius designatos fuisse a pontificibus ad munus suum in Polonia obeundum, antequam supradictam nominationem obtinuerunt⁷⁶.

2) **Litterae credentiales**, quibus principi, ad quem a Sede Apostolica publice mittebatur, sollemniter oblati, novus nuntius eo ipso die penes aulam principis in munere inaugurabatur⁷⁷. Litterae credentiales in forma brevis pontificii conficiebantur enumerabantque rationes et causas missionis, nomen nuntii, eius dignitates et officia, quibus hactenus functus est, necnon animi dotes, quibus excellere asseverabatur (saepissime morum integritatem, prudentiam, studium pietatis). Terminabantur precatione summi pontificis ad principem, ut misso suo fidem haberet et cum ipso ita loqueretur, "ut si nos ipsos audiret"⁷⁸. Similiter pontifices nuntios suos publice inaugurabant coram reginis matribus et consortibus, primatibus et episcopis, et coram maioris auctoritatis senatoribus et proceribus Regni, eosque ipsis commendabant, ea tamen addita indicatione, nuntios suos penes regem munere suo fungi debere. Erant ergo litterae potius commendaticiae quam credentiales et, "ad captandam benevolentiam", semper adulationem quandam continebant illi, ad quem datae erant, destinatae. componebantur autem secundum 2-5 formulas⁷⁹. Inde a nuntiatura Camilli Mentovato (1558-1559) apparent etiam, et quidem magno numero, "credentiales in albis", quae vocabantur, id est brevia, locos albos, scriptura non repletos, inserendo nomini destinatarii, ad quem danda erant, destinatos continentia, quod nuntius quolibet temporis momento pro necessitate, prout sibi videretur, inscribere potuit⁸⁰. Credentia libus adnumerandae sunt etiam litterae passus, quas vocant, et sunt brevia, nuntium "universis et singulis", quibus eas in itinere, licentiam transeundi et quodlibet auxilium petens, ostensurus est, commendantia⁸¹.

Summatim numerus brevium commendaticiorum satis magnus esse poterat. Iam Hieronymus Martinengo in itinere, a. 1548 in Poloniam facto, 21

⁷⁵ Formula "Cum nos *hodie* te... nuntium et oratorem duxerimus destinandum", quae iam in brevi facultatum Zachariae Ferreri, 1 XI 1519, occurrit, licet is ad munus suum ante diem 15 IX eiusdem anni nominatus sit (cfr. AV, *Reg. Vat.* 1200f. 283v).

⁷⁶ Cfr. Tabulas singulorum nuntiorum.

⁷⁷ Cfr. App. NN. 18, 21, 26.

⁷⁸ Breve, litteras credentiales Berardi Bongiovanni continens, 25 IV 1560 editum, AV, *Arm.* 44, ms. 10 f. 132v-133r (formula frequentissime usurpata); exemplum formulae anterioris sunt litterae credentiales Zachariae Ferreri, 15 IX 1519 datae (AT IV, p. 401-402).

⁷⁹ Cfr. ex. gr. brevia commendaticia pro Nicolao Fabri (AV, *Arm.* 40, ms. 10 f. 361v) et Hieronymo Martinengo (AV, *Arm.* 41, ms. 42 f. 260r-261r).

⁸⁰ Specimina in AV, *Arm.* 44, ms. 2 f. 209r-210r. De brevibus in albis Walf, *Die Entwicklung*, p. 95.

⁸¹ Saeculis XVII et XVIII brevia haec generatim una cum brevibus facultatum apparabantur (vide AV, *Sec. Brev.*, passim). Cfr. App. N. 15.

eiusmodi brevia secum portabat⁸². Postea numerus eorum etiam crevit, sed semper necessitate temperari solebat⁸³. Maximum nobis notum numerum 56 huiusmodi brevium obtinuit a. 1586 nuntius Hannibal de Capua. Casu conservata (eo quod, ipso iam iter in Poloniam faciente, mortuus est rex Stephanus Batory, ad quem missus erat, et ideo tradi non poterant) omnia eorum originalia in charta membranea exarata exemplo esse possunt omnium, quae supra descripsimus, generum et specificationum in brevibus credentialibus et commendaticiiis occurrentium⁸⁴.

Notandum est data diurna brevium credentialium et commendaticiorum, quae ex registris pontificiis a viris doctis (Theiner VMPL, Biaudet NAP, Kartunnen NAP) sumpta sunt, saepissime discordare cum datis, quae in brevibus originalibus inveniuntur, eo quod illa in registra ex minutis transcribebantur, quae datum diei compositionis brevis, originalia vero datum illius expeditionis (quae non raro post aliquot dies fiebat) appositum habebant⁸⁵.

3) **Instructio** ad usum nuntii conscripta, praecipuas normas et regulas agendi et operandi continens, quas nuntius in munere suo obeundo observare tenebatur. Huiusmodi instructio quasi in germine nobis nota est iam saeculo XV in forma "mandati", quod vocant. Cum tamen haec primigenia forma instructionis pontificiae nuntio datae parum hucusque explorata sit, certa eius origo vix statui potest. In Polonia primum et omnino vetustissimum est mandatum legato Brandae de Castilione a. 1410 datum. Quod documentum, sicut et mandatum eadem forma conceptum, alius missi pontificii in Poloniam, archiepiscopi Hieronymi Lando, a. 1463 datum, est breve pontificium nuntio nominatim inscriptum, brevissima praecepta continens, ad officia nuntii et modum eadem explendi spectantia. Altera, non exigua, parte documentum enumerantur potestates et facultates nuntii, cum commisso ei munere coniunctae⁸⁶. Mandatum igitur considerari potest copulatio brevissimae et veterrimae formae instructionis cum pariter brevibus exemplis bre-

⁸² Cfr. Wojtyska PP, p. 55 et 172.

⁸³ Ex. gr. Ioannes Baptista Lancellotti (1622-1627), cum ad comitia proficisceretur, quorum exitum Sedes Apostolica valde metuebat - praeter 16 brevia ad principes, per quorum ditiones transire cogebatur - obtinuit 42 brevia ad Polonos, quorum 37 in albis (cfr. AV, *Arm.* 45 ms. 20 f. 165r-194v). Galeatius Marescotti a. 1669 scripsit Curiam Romanam 24 eiusmodi brevia dare solere (cfr. *Vademecum*, p. 65-66), sed non inclusit in hunc numerum alia 24 brevia in albis, exarata secundum 3 diversas formulas pro duobus gradibus nobilium Polonorum (magnates et nobiles), quae ipse obtinuit in Poloniam profecturus a. 1668 (cfr. AV, *Eplae ad Principes* 67 f. 289r-303v).

⁸⁴ Cfr. AV, *Nunz. Pol.*, Addit. 1, fasc. IV (s. f.).

⁸⁵ Exemplum huius disparitatis possunt esse litterae credentiales Francisci Buonvisi, quae in originali datum 17 XI 1673 habent (ed. Kluczycki PS I/2, p. 1131-1132), in registro vero sub dato 5 XI 1673 in scriptae inveniuntur (editae sub eodem dato a Theiner VMPL III 608). De iisdem discrepantiis cfr. infra p. 32.

⁸⁶ Utrumque edidit Theiner VMPL II, p. 3 et 121.

vium sive bullarum, facultates nuntiorum continentium, de quibus infra fusius loqui intendimus.

Prima proprio nomine appellata instructio, commixtione cum aliis brevium formis vacua, in Polonia fuit illa, quae a. 1519 nuntio Zachariae Ferreri data erat. Quae insimul est ultima ex notis nobis instructionibus, in forma brevis pontificii conceptis, id est auctoritate ipsius summi pontificis editis⁸⁷. Posteriores autem instructiones minus sollemnes erant eo, ut postulante necessitate mutari et expleri possent, ideoque a praecipuis Sanctae Sedis negotiorum gestoribus subscribebantur: primum a cardinalibus nepotibus, deinde a secretariis status. Eiusmodi mutatione factum est, ut instructiones assumpserint formam documenti annexi, quod nuntio dabatur sicut appendix ad litteras, quibus Secretarius Status eandem instructionem nuntio transmissam communicabat. Qua re etiam facile explicatur, cur tam paucae instructiones in originali servatae sint, multa vero earum exemplaria, imprimis illa, quae in registro cancellariae Secretariatus Status relata erant, ad nostros usque dies asservata exstant.

Moris erat, ut nuntius instructionem una cum litteris credentialibus, facultatibus et notis secretioribus vel arcanis, quas vulgo cifras vocant, acciperet, antequam in regionem, in qua munus ei explendum erat, proficisceretur⁸⁸. A qua tamen consuetudine in Polonia non raras exceptiones fuerunt. Interdum enim accidere potuit, ut festinationis et celeritatis causa nuntio interim daretur instructio ad praedecessoris ipsius usum apparatus, et nonnisi post aliquod temporis spatium alia instructio, ipsi nominatim inscripta, mitteretur (ex. gr. Ioannes Lancellotti a. 1622 in Poloniam profecturus instructionem Cosmo de Torres a. 1621 datam obtinuit)⁸⁹. Nonnumquam relatio finalis praedecessoris in locum instructionis successoris subrogabatur. Ita a. 1630 relatio Antonii Santacroce data erat Honorato Visconti, ut illam sequeretur, donec nova instructio ipsi transmissa esset⁹⁰. Interdum saeculo XVII et prima saec. XVIII parte accidebat, ut nuntii (ii praesertim, qui ex alia quadam nuntiatura magnis itineribus ad nuntiaturam Poloniam transire iuebantur), immediate a suis praedecessoribus, etiam internuntiis, instrui deberent. Ita ex. gr. Claudius Rangoni, antequam e Polonia discessit, tradidit Francisco Simonetta, mense februario 1607, non solum instructionem, quam ipse olim pro se accepit, sed etiam "informatione esatta,

⁸⁷ Cfr. AT V, p. 188-190. Pro exceptione haberi debet instructio supplementaris die 24 IV 1596 a Clemente VIII legato Henrico Caetani data, sed cum "motu proprio" manu ipsius summi pontificis in simplici folio chartaceo lingua Italica scripta sit, solum maximo pondere illius legationis explicatur (Roma, Arch. Caetani, n. 59982).

⁸⁸ Cfr. Kraus PSS, p. 222, Jaitner HI t. I, p. XLII.

⁸⁹ Instructio pro Cosmo de Torres, a card. L. Ludovisi subscripta, et originalis instructio eiusdem cardinalis pro Ioanne Lancellotti 14 XII 1622 edita, in Archivo familiae Lancellotti Lauri servantur.

⁹⁰ Cfr. Theiner VMPL III, p. 387-390.

servitio publico"⁹¹. Tali instructione obtenta, aliqui nuntii nullam postea instructionem generalem a Secretariatu Status accipiebant, nisi forte solummodo instructiones particulares, ad singula negotia promovenda pertinentes. Praesertim vero Congregatio de Propaganda Fide saeculo XVII multas eiusmodi instructiones nuntiis suppeditabat⁹².

Instructiones generales non secundum stabilem aliquam et immutabilem formulam componebantur, sicut ex. gr. brevia facultates nuntii continentia. Earum enim auctores plena fruebantur libertate ita, ut quo vellent scribendi genere, forma et tenore uti possent. Nihilominus inter instructiones, quae usque ad nostros dies conservatae sunt, duo praecipua earum genera discernere possumus: a) quae de ordinando ipsius nuntii labore et adiungendis ei adiutoribus tractant; b) quae imprimis negotia spectant, quibus expediendis nuntius incumbere debuit. Eiusmodi divisio praecipuo perspicui potest in instructionibus vetustioribus, ita ut Hieronymo Martinengo unumquodque id genus mandatorum duabus separatis instructionibus datum sit⁹³.

4) **Facultates** iurisdictionales, simpliciter facultates vocatae, quibus nuntio - vigore delegatae auctoritatis pontificiae - concedebatur iurisdictio iudiciaria cuiusvis instantiae, licentia impartendi dispensationes in varii generis impedimentis canonicis (praesertim ad matrimonium et sacerdotium attinentibus), conferendi beneficia, nominandi notarios publicos et tribuendi dignitates pontificias honorarias, necnon varii generis indulgentias impartendi⁹⁴. Facultatibus eiusmodi instructi erant omnes legati a latere et nuntii, qui in Poloniam mittebantur "facultatibus legatorum a latere praediti". Iam a. 1463 breve, talium facultatum indicem continens, datum erat Hieronymo Lando, "oratori cum potestate legati"⁹⁵, a. vero 1519 primo stabili nun-

⁹¹ Vide eius epistolam ad S. Borghese, 24 II 1607, or. AV, *F.Borghese* II 223-224 f. 38r. Similiter internuntius Ioseph Frentanelli scribit 5 XI 1621 cardinali L. Ludovisi se amplam informationem de Polonia nuntio Cosmo de Torres transmisisse (or. BV, *Barb.Lat.* 6580 f. 46r). Nuntio A. Ranuzzi commissum est requirere a praedecessore "tutte le necessarie istruzioni per il mio carico" (Ranuzzi ad card. P. Altieri, 12 VII 1671, AV, *Nunz.Pol.* 86 f. 269v).

⁹² Cfr. Welykyj LPF et LNA passim.

⁹³ Prima inscribitur *Instructio Cardinalis Farnesii ad nuntium Poloniae* (Simancas, AG, *Estado-Berzosa*, leg.2002 f. 39r), altera *Instructio per il Signor Abbate Martinengo, Nuntio in Polonia, di luglio 1548* (AV, *Misc.Arm.* 2, ms. 93 f. 450r). De instructionibus primis nuntiis in Polonia datis cfr. Wojtyska PP, p. 167-171.

⁹⁴ Accuratum elenchum facultatum, nuntiis Polonis annis 1555-1563 concessarum, attuli in libro *Papiestwo-Polska*, p. 179-182. Ibidem (p. 173-192) de origine earum dixi. Pro altera saeculi XVII parte vide elenchum in App. N. 14. Cfr. etiam Garampi IR, p. 1336.

⁹⁵ Cfr. Theiner VMPL II, p. 121-122. Primus inter nuntios, qui eiusmodi facultates obtinuit, fuit Stephanus Nardini in Gallia (a. 1446), cfr. L. Baldissari, *La Nunziatura in Toscana*, Città del Vaticano-Guatemala 1977, p. 25. De vetustissimis facultatibus, quae nuntiis in Germania annis 1518 et 1520 concessae sunt, cfr. O. Mergentheim, *Die Quinquennalfakultäten pro foro externo. Ihre Entstehung und*

tio apostolico in Polonia, Zachariae Ferreri⁹⁶. Facultates legatorum ampliores tamen fuisse videntur quam nuntiorum et non circumscribentur territorio status, ad quem legatus mittebatur. Ex. gr. Hippolyto Aldobrandini concessae sunt a. 1588, praeter supra enumeratas, etiam facultates dispensandi super matrimoniis clandestinis et inquirendi ac procedendi contra haereticos et schismaticos⁹⁷, quas apud nuntios nunquam invenimus; impertire autem eas coepit iam ante suum in Poloniam ingressum, cum per diversa loca Italiae transiret⁹⁸.

Ad praxim tamen quod spectat et usum facultatum a nuntiis in Polonia munere fungentibus, dici potest non omnes, quae concessae erant, ab illis usurpatas esse. Quae generatim usurpabantur, "reducuntur - ut scripsit observator quidam medii XVIII saeculi - ad duo capita iurisdictionis contentiosae et duo gratiosae. Illa constant facultatibus visitandi omnes Ecclesias Regni, tam saeculares quam regulares, qualiscumque generis et conditionis, et iudicandi omnes causas in tribunalibus ecclesiasticis agitatas, per appellationem ad Nuntiaturam devolutas. [Iurisdictio] gratiosa reducitur ad collationem beneficiorum, quae praeteritis temporibus comprehendebat omnes, qui non erant in dignitatibus ecclesiasticis constituti, et ad diversas facultates indulgentias concedendi, ordinandos ab interstitiis dispensandi et alias expeditiones gratiosas faciendi"⁹⁹.

In omnibus brevibus pontificiis, facultates nuntio concessas continentibus, constanter indicatur, cuius rei gratia summus pontifex partem auctoritatis (potestatis) suae cum nuntio communicet - scil. "ut erga personas Regni Poloniae huiusmodi ac quorumcumque dominiorum ac locorum eidem Sigismundo Augusto Regi subiectorum, ad quas te cum eo declinare contigerit, te possis reddere gratiosum"¹⁰⁰. Eiusmodi argumentatio in omnibus id genus brevibus pontificiis facile perspicui potest, a Zacharia Ferreri usque ad ultimum apostolicum nuntium, qui in I Republica Polona munere suo fungebatur¹⁰¹. Qua re non solum efficacior reddebatur Ecclesiae Universalis administratio, integra et incolumi restante pontificis Romani summa in omnibus auctoritate, sed etiam clero et fidelibus in singulis gratiis a pontifice impetrandis, nulla Romam proficiscendi necessitate, succurrebatur. Ideo saepe, praesertim saeculo XVI, etiam a regibus Poloniae eorumque subditis tales facultates pro

Einführung in deutschen Bistümern, Bd 1, Stuttgart 1908, p. 238.

⁹⁶ Invenitur in AV, *Reg. Vat.* 1200 f. 283v-290v.

⁹⁷ Cfr. AV, *F. Borghese* III 112E-F f. 23r. Similes, et forsitan adhuc ampliores erant 29 facultates a. 1596 Henrico Caetani concessae (i. a. etiam "canonicatus erigendi"(!), cfr. Arch. Caetani, n. 151005).

⁹⁸ Cfr. eius registrum expeditionum in AV, *F. Borghese* I 528.

⁹⁹ Cfr. App. N. 27.

¹⁰⁰ Ex brevi facultates continente pro Aloisio Lippomano, 6 VI 1556 dato, AV, *Arm.* 42, ms. 7 f. 325r.

¹⁰¹ AV, *Reg. Vat.* 1200 f. 283r; in brevi pro Benedicto Odescalchi de 25 I 1712 Clemens XI scribit: "... ut locis et personis praedicti regni [...] et dominiorum, dicto Augusto Regi quomodolibet subiectorum, opportune consulere, teque erga illos utilem et benignum exhibere possis" (AV, *Arch. Nunz. Vars.* 184 f. 1r).

nuntiis postulabantur¹⁰². Quae omnia nuntio ex una parte amicos conciliatura erant, ex altera autem non parva lucra et emolumenta ei afferebant, cum pro maiore concessarum gratiarum parte statuta ei a petitoribus tributa solverentur¹⁰³. Erant ergo facultates etiam testes gratiae in nuntium ipsum collatae et ideo ipse pro brevibus illas continentibus praefixas taxas in Curia Romana solvere debebat¹⁰⁴.

Hae tamen, tam amplae nuntiorum facultates cum singulorum statuum legibus et iurisdictione episcoporum non raro pugnabant. Quam ob rem in Gallia a publico consilio Parisiensi (quod vulgo parlamentum vocabant) facultates eiusmodi etiam recenseri et recognosci debebant, in Hispania autem inde ab a. 1528 inter regem et papam concordabantur¹⁰⁵. In Polonia singuli nuntii ad facultates suas primum regi praesentandas tenebantur, tunc demum illis uti poterant, quo facto Tribunal Nuntiaturae inaugurabatur¹⁰⁶. Talis consuetudo inde ab initio nuntiaturae Polonae observabatur, cuius rei testimonium est, quod inde a nuntiatura Zachariae Ferreri nuntiorum facultates in cancellaria regia in libros metricae regni referri solebant¹⁰⁷. Nihilominus a medio saec. XVII controversiae de iurisdictione nuntiorum in Polonia satis frequentes fuerunt, quia praerogativae illae existimabantur derogativae privilegiis archiepiscoporum Gnesnensium, qui ab a. 1514 iura et facultates legatorum natorum exercebant et vindicabant¹⁰⁸. Derogare etiam putabantur iuri patronatus regii super beneficia maiora, praesertim abbatias Polonas, de quibus maxima omnium querela inter nuntiaturam et auctoritates regni orta est exeunte XVII et ineunte XVIII saeculo; adhuc gravior effecta eo, quod aliqui nuntii, cum ex Polonia discederent, auditores nuntiaturae, plena potestate instructos, relinquerent, ut donec nuntii-successores advenirent, internuntios agerent¹⁰⁹. Quae res primum accidit, cum rex Michael Coributus Wiśniewiecki nullo modo auditorem Carolum Sarteschi, a nuntio Galeatio Marescotti, et Carolum Grappi, a nuntio Francisco Nerli in scriptis designatos, a.

¹⁰² Cfr. App. NN. 1 et 6.

¹⁰³ Cfr. Mergentheim, I, p. 234; Walf, p. 95. De introitibus ex taxis provenientius vide supra, p. 5. Saepe tamen mittebatur nuntiis, ut pro gratiis nullas recompensationes acciperent, cfr. Wojtyśka PP 218 et App. N. 14.

¹⁰⁴ Cfr. App. N. 15.

¹⁰⁵ Pieper, p. 18.

¹⁰⁶ Cfr. App. N. 18 (quinta inter rationes ab archiepiscopo Olszowski a. 1675 reportatas); cfr. etiam Garampi IR, p. 1330, 1343.

¹⁰⁷ Vide AGAD, MK 37 f. 87r-95r.

¹⁰⁸ Cfr. App. NN. 9, 16-18, 20, 23.

¹⁰⁹ Quod ita a pontificibus mandatum esset, testantur litterae secretarii status ad nuntium Nerli, 11 VI 1670 datae, qui debebat "lasciar persona idonea, che vi rimanga per le occorrenze di cotesto ministero", cum ordine ut "si communicano alla medesima col mezzo di questa tutte le facultà necessarie e opportune per l'essercizio delle incombenze della Nunziatura fino all'arrivo in essa del Prelato, che dovrà succedere a V.ra Signoria" (AV, Nunz. Pol. 187 f. 7v-8r).

1670 et 1671 agnoscere voluisset¹¹⁰.

Cum omnes supra memoratae praetensiones ambarum partium temporis progressu semper crescerent¹¹¹, deventum est tandem mense Iunio 1696 ad tribunalis nuntiaturae, de mandato senatus consilii reipublicae, suppressionem, quod quidem paulo post restitutum est, quaestione tamen minime resoluta¹¹². Ita, ut a. 1726 Grodnae decretum "contra abusus tribunalis nuntiaturae" a Dieta promulgatum sit et gravamina summo pontifici porrigenda redacta, spiritu gallicanismi, ut vocant, imbuta¹¹³. Ad quae Benedictus XIII respondit 25 IX 1728 censuras ecclesiasticas fulminando¹¹⁴. Pax restituta est tandem (post longas tractativas, quibus nuntius ad hoc speciatim missus, Camillus Paulucci, operam dabat) primo in historia relationum Poloniae cum Sancta Sede mutuo concordatu, a. 1737 a nuntio Paulucci nomine papae subscripto¹¹⁵. Nil mirum, quod summi pontifices iam ab initio, cum facultates nuntiis concederent, constanter eos admonebant, ut illis moderate et prudenter uterentur¹¹⁶.

Pauca tantum brevia originalia facultates nuntiorum in Polonia continentia ad nostram usque aetatem pervenerunt. Conservantur autem Vaticani fere omnes eorum minutae, ex quibus patet nuntios ea, sicuti alii, pro gratia a pontificibus petere debuisse (in maxima collectione illarum, in Fundo Secretariatus Brevium conservata, saepe inveniuntur supplicationes originales, minutis adiunctae). Supplici libello porrecto, conceptus brevis a secretario componebatur, addito in fine brevi illius summario, quod referendarius pontifici in audientia legebat; si probabatur, papa minutam primis sui nominis ex bapismo litteris signabat, addito "placet"; sin minus, textus corrigebatur et deinde confirmabatur. Quo facto, originale brevis apparabatur, quod (sicut in aliis brevibus) a pontifice non signabatur, sed tantum nomina referendarii et secretarii autographa apposita habebat. Videntur itaque hae minutae pro editore non minoris momenti esse, quam ipsa originalia¹¹⁷.

Inter documenta, quae ad nuntiaturas spectant, brevia facultates nuntii continentia genus certe sunt mutationibus minime obnoxium. Eorum enim

¹¹⁰ Cfr. App. N. 18 et epistulam Ludovici Fantone ad card. Virginium Orsini, Varsavia die 25 III 1671 datam (or. Romae, ACO, *Arch.Orsini* 232 n. 404.) nec non eplam Marescotti, Saeteschi et Grappi ad card. Secretarium Status, 2 et 12 VII 1670 et 23 IV 1671 datas (AV, *Nunz.Pol.* 84 f. 158r-v et 162r; *Nunz.Pol.* 85 f. 228r-231r).

¹¹¹ De querelis anni 1675 vide App. NN. 16-18.

¹¹² Cfr. App. NN. 20-21.

¹¹³ Cfr. App. NN. 22-24; cfr. etiam Garampi IR, p. 1345-1346.

¹¹⁴ Cfr. App. N. 25.

¹¹⁵ Cfr. Tab. XLVII (editiones et bibliographiam).

¹¹⁶ Cfr. brevia facultatum nuntiis medio saeculo XVI concessarum (Wojtyska PP, p. 176) et breve pro Benedicto Odescalchi (AV, *Arch.Nunz. Vars.* 83 f. 1r).

¹¹⁷ Vide ex. gr. supplicem libellum et minutas plurium brevium facultatum nuntio Ioanni de Torres, 16 II 1645 datarum (AV, *Sec.Brev.* 998 f. 970r-990v) et legato Aldobrandini, sine data (AV, *F.Borghese* III 112 E-F f. 23r).

forma ad nostram usque aetatem fere immutata remansit; mutationes vero in re ipsa, si quae erant, perexiguae fuerunt et plerumque in removendis facultatibus, quae cum decretis Concilii Tridentini evidenter pugnabant, constiterunt¹¹⁸. Ab exeunte saec. XVI in usum venit, ut licentiae particulares, praesertim eae, quae propter peculiarem Poloniae conditionem postulabantur, singulis nuntiis separatis brevibus pontificiis, quae brevis principalis quodammodo appendices erant, concedebantur. Gratiae, ipsis nuntiis et eorum comitatu concessae, inde ab altera saeculi XVI parte etiam seiunctis litteris communicabantur¹¹⁹.

5) Acta testificantia, quomodo nuntii facultatibus iurisdictionalibus usi sint. Quae, conformiter ad ea, quae supra diximus, duplicis sunt generis: **acta contentiosa** (alias iudiciaria) et **acta gratiosa** (scil. collatio beneficiorum, dispensationes, indulgentiae). Prima ex eis fuerunt fructus actionis tribunalis nuntiaturae, qui bis in hebdomada (diebus Lunae et Veneris) causas audire solebat¹²⁰. Andreas Kitowicz descripsit modum, quo huius generis acta conficiebantur: "Patronorum factores iam bene in iuribus exercitati, ad libros nuntiaturae accedebant. Unus ex eis, qui causam actoris curabat, nomine patroni sui querelam contra citatum in eosdem libros referebat; alter vero, qui citati negotium defendebat, cum faenore ad eam respondere solebat... Primus, responso in actis animadverso, iterum ad illud respondebat, alter autem, similiter ac ille, suis argumentis illud confutabat. Quae omnia in libris scripta erant. Post eiusmodi inductus et saepius iterata ad illos responsa, patroni documenta in manus notarii nuntiaturae deponebant, qui ibi non notarius, sed cancellarius vocabatur¹²¹. Qui documentis istis adiungebat informationes et argumenta, ex variis legibus ecclesiasticis Romanis et localibus, synodalibus et comitialibus deprompta, sicut necessitas postulabat, adnotationibus signando librum et paginam, in qua singulae leges scriptae erant. Deinde omnia in uno fasciculo claudebantur et anulo obsignabantur, adnotatione supra inscripta indicante, ad cuius causam acta illa pertinerent. Auditor vero, pro tempore et pro arbitrio suo, fasciculos eiusmodi recognoscebat, omnes inductus, documenta, informationes legendo. Tandem sententiam suam ferebat argumentis et rationibus suffultam, propter quas unius partis defensionem refutavit et se ad alteram inclinavit. Quo facto [fasciculos illos] cancellario

¹¹⁸ Cfr. ex. gr. facultates Zachariae Ferreri a. 1519 (AV, *Reg. Vat.* 1200 f. 283r-290v) cum Iulio Ruggieri a. 1566 (AV, *Arm.* 42, ms. 25 f. 393r-399r) et Benedicto Odescalchi a. 1712 (cfr. supra, notam 101) concessis. Aliquando nuntii obtinebant minores facultates quam petebant, quod accidit Francisco Simonetta, cui ex petitis in supplicatione solummodo potestas creandi sex protonotarios apostolicos concessa erat a. 1606 (vide AV, *Sec. Brev.* 412 f. 209r-212v).

¹¹⁹ Cfr. App. N. 15.

¹²⁰ Cfr. App. N. 21.

¹²¹ Mutatio huius nominis introducta est tempore nuntiaturae Cosmi de Torres (1621-1622), cfr. App. N. 24 (7).

restituēbat, qui, tota causa in libros relata, postquam ipse praesente auditore eam diligenter perlegit, partibus recurrentibus eam tradebat¹²².

Itaque in libris nuntiaturae Varsaviensis nonnisi descriptiones causarum et documenta iudiciaria nuntiorum remansisse videntur. Ex posteriore inventario Felicis Ioannis Bentkowski conicere quidem possumus de quodam numero citationum testium, depositionum et sententiarum iudicialium, quae in Tabulario Nuntiaturae Varsaviensis etiam servabantur¹²³, quod tamen hodie comprobare vix possumus, cum a. 1944 omnia igni delecta sint. Magna autem pars illorum documentorum servata sunt, quae "ingrossata" (id est descripta et in libros relata) vel in epitomen coacta erant. Quae sunt plerumque vel in extenso descriptae sententiae, citationes etc., saepe in libros expeditionum, quos vocant, relatae (vetustissimus eiusmodi librorum, qui servatus sit, annis 1573-1575, cum nuntiaturam Vincentius Lauro moderaretur, confectus erat)¹²⁴, vel summaria actorum tribunalis nuntiaturae, quae singulis diebus in sui generis diarium inscribebantur ("acta contentiosa" Francisci Diotallevi, annos 1616-1621 comprehendentia)¹²⁵. Singula summaria tribus elementis constant: quis iudicavit (nomen auditoris; nuntius enim tribunali tantum coram aderat, dum maioris momenti causae cognoscebantur), quis et cuiusmodi causam intulit et quomodo eam probabat, qualis fuit sententia lata¹²⁶. Nonnullae decisiones tribunalis nuntiaturae typis etiam divulgabantur¹²⁷.

Maioris momenti ad historiam cultus religiosi et civilis in Polonia cognoscendam quam contentiosa sunt acta gratiosa. Testimonium "gratiarum", a nuntiis secundum facultates ipsis competentes concessarum, erant documenta, interdum sollempnissima, quae gratiarum receptoribus tradebantur¹²⁸. Apud quos etiam quaerenda sunt. Documenta huiusmodi nonnisi raro, ad preces illius, qui gratiam obtinuit, in libros officialatum episcopaliū referebantur, prout receptorum gratiarum testimonia, praesertim cum gratia fuit beneficii cuiusdam collatio¹²⁹. Omnia tamen id genus documenta, antequam gratiarum receptoribus traderentur, a cancellario nuntiaturae in libros ad hoc institutos, quos "expeditionum gratiarum" vocabant, diligenter referebantur.

¹²² J. Kitowicz, *Opis obyczajów za panowania Augusta III* [Descriptio morum in Polonia Augusto III regnante], Warszawa 1985, p.144-145 ("De iudiciis nuntiaturae").

¹²³ Cfr. Bentkowski LANP, p. 121 (vetera mss. 177 et 181-183).

¹²⁴ AV, *Nunz.Pol.* 396.

¹²⁵ AV, *Arch.Nunz.Vars.* 161-164.

¹²⁶ Cfr. ex. gr. primum ex libris contentiosorum Francisci Diotallevi (ut supra, ms.161), manu cancellarii Iacobi Tonini minus accurate conscriptum.

¹²⁷ Cfr. ex. gr. *Decisionem Tribunalis Nuntiaturae coram Andrea Butio in causa Varsaviensis matrimonii*, 25 Octobris Varsaviae 1749.

¹²⁸ Tale est ex. gr. documentum 18 VI 1521 a Zacharia Ferreri pro Ioanne Sacrano editum (invenitur in BJ Cracoviae, documenta membranea).

¹²⁹ Cfr. privilegium beneficiale, 5 III 1521 a Ferreri Iacobo Brzozowski concessum, ipso postulante in acta officialatus Plocensis relatum (Płock, Arch. Dioecesanum, *Acta Officialia* 184 f. 164v-165r).

Antiquissimi illorum, qui ad dies nostros conservati sunt, a nuntiatura Hannibalis de Capua (1587-1591) et legatione cardinalis Aldobrandini (1588/9) incipiunt¹³⁰. Maioris momenti documenta in libros expeditionum in extenso referri solebant, reliquorum vero summaria tantum conficiebantur.

6) **Acta processuum informativorum** nominatorum ad episcopatus. Processus eiusmodi dederunt originem documentis nuntiorum insolitis, aliis prorsus dissimilibus. Inde enim a Concilio Tridentino, praesertim post annum 1580, nuntiis saepius atque saepius onus imponebatur faciendae primae examinationis (quam "processum informativum in partibus" vocant) de vita, moribus, doctrina et catholica orthodoxia dignitatis episcopalis candidatorum in illis dioecesibus, quae in territoriis nuntiaturae subiectis sitae erant. Quorum etiam fidei professionem et iuramentum fidelitatis audiebant¹³¹. Anno 1591 Gregorius XIV decrevit, ut istae inquisitiones solummodo ab iis, quos Concilium Tridentinum ad hoc vocat, fierent, id est a legatis et nuntiis apostolicis necnon a loci ordinariis, ita tamen ut "si legatus excludendus erit, ad nuncium, si nuncius, ad ordinarium, si ordinarius, ad viciniorem ordinarium inquisitionis officium deferatur"¹³². Vi huius ordinationis, uti acta processuum informativorum, quae in tabulario Congregationis Consistorialis, a. 1588 a Sixto V institutae, asservantur (cuius Congregationis imprimis fuit consistorium cardinalium in negotio dioecesium et episcoporum praeparare), clare demonstrant, maximam partem eiusmodi processuum in Polonia a nuntiis apostolicis peractam esse. Accuratiore illorum actorum, quae servata sunt, examinatione peracta, perspicimus ab initio saeculi XVII solummodo eos processus promovendorum ad episcopatus Poloniae, non a nuntiis apostolicis, sed ab aliis episcopis Polonis (metropolitanis vel vicinioribus) instructos esse, qui "in absentia nuntii" vel illo impedito postulabantur¹³³.

Processus ipse consistebat in interrogandis et audiendis testibus prae-

¹³⁰ AV, *Arch.Nunz.Vars.* 158 (acta gratiosa Hannibalis de Capua); AV, *F.Borghese* I 528 (acta gratiosa Aldobrandini). *Liber expeditionum gratiarum* Ioannis Andreae Caligarii ex annis 1578-1581, qui olim servabatur in Archivo Nuntiaturae Varsaviensis (AGAD, AN, ms.1), superiore saeviente bello deletus est (cfr. Bentkowski LANP, p. 117); veterrimae inscriptiones "gratiarum" proveniunt ex annis 1573-1575, sed in registrum referebantur una cum actis iudicialibus nuntii Vincentii Lauro (cfr. AV, *Nunz.Pol.* 396).

¹³¹ Cfr. H. Jedin, *Die Reform des bischöflichen Informativprozesses auf dem Konzil von Trient*, in eiusdem: *Kirche des Glaubens, Kirche der Geschichte*, Bd 2., Freiburg im Br. 1966, p. 449-450, 458 (decretum sessionis XXII, de reformatione, can. 2). Cfr. H. Fokciński, *Conferimento dei benefici ecclesiastici maggiori nella Curia Romana fino alla fondazione della Congregazione Consistoriale*, RSCI 35 (1981), p. 149-150.

¹³² Constitutio "Onus Apostolicae servitutis", die 15 V 1591 promulgata, cfr. Bullarium Romanum IX, p. 419-424 (§ 5).

¹³³ Ex. gr. processus informativi Adami Nowodworski, postulati episcopi Posnaniensis, et Abrahae Woyna, postulati Vilmensis, producti erant anno 1630 "in absentia nuntii apostolici" ab archiepiscopo Gnesnensi Ioanne Węzyk (vide AV, *Proc.Consist.* 28 f. 254r-263v, 559r-573r). Plures erant huiusmodi processus celebrati tempore vacantiae nuntiaturae inter discessum Marii Filonardi et adventum Ioannis de Torres, 1643-1645, uti patet ex actis (cfr. AV, AC, *Proc.Consist.* 45 f. 13r-862v passim).

sente cancellario (saepe etiam auditore), qui testium depositiones conscriberat. Testes autem respondebant ad praeparatas interrogationes, quae plerumque ad personam nominati et dioecesim, ad quam postulabatur, pertinebant. Finitis vero interrogatoriis, quae saepissime aliquot dierum erant, nuntius perscripta processus acta, quae vulgo "verbale" vocabantur, una cum annexis Romam mittebat, ubi fundamentum erant "processus definitivi in Curia" conficiendi, qui consistebat in collectis documentis a cardinali relatore (plerumque Regni Poloniae protectore vel viceprotectore) et tribus membris Sacri Collegii, uno ex ordine diaconorum, uno presbyterorum et uno episcoporum, examinandis et recensendis¹³⁴.

Acta processuum a nuntiis in Polonia productorum, quae servata sunt, incipiunt a processu Ottonis Schenking, ad episcopatum Vendensem in Livonia nominati, qui a. 1588 a 10 usque ad 26 diem mensis Iunii ab Hannibale de Capua celebratus erat. Praeter ordinariam eiusmodi processuum structuram (17 interrogationes, responsa testium, confessionem fidei et iuramentum fidelitatis), in actis illius processus inveniuntur multa documenta annexa (testimonium Academiae Cracoviensis, petitio totius dioecesis parochorum, litterae commendaticiae ipsius nuntii etc.)¹³⁵. Unicum indicium, quo manifestum ostenditur "processum in partibus", a nuntio celebratum, in processum consistorialem commutatum esse, sunt subscriptiones in calce manu propria exaratae cardinalis relatoris, Regni Poloniae viceprotectoris Alexandri Peretti, et trium adhuc cardinalium comprobantium "Ottonem Schenkinum [sic] idoneum esse, qui Ecclesiae Vendensi in episcopum praeficiatur"¹³⁶. Acta omnium subsequentium processuum, quamquam non semper tanto documentorum numero instructa, iisdem fere elementis constant, inclusis subscriptionibus et sigillis nuntiorum, qui eos celebraverunt.

Inter acta inveniuntur aliqua, quorum validitatem S. Congregatio Consistorialis in dubium vocabat. Accidebat enim, ut nuntius "processum confici vicesque suas ad recipienda iuramenta testium illosque examinandos, quoties ipse aliis negotiis impeditus fuerit", auditori suo committeret. Quae praxis primum introducta esse videtur a Claudio Rangoni, qui a. 1600 duos processus auditori suo Horatio Amaduzzi hoc modo confici mandavit, ea tamen conditione, ut professio fidei et iuramentum nominandorum ab ipso nuntio acciperentur¹³⁷. Sed neque hanc conditionem observaverunt nuntii Varsavienses, qui ab exeunte saeculo XVII munere suo fungebantur, integros pro-

¹³⁴ Fokciński, ut supra, nota 131; actiones processuales describo nixus actis in AV, AC, *Processus Consistoriales* conservatis et studio L. Jadin, *Procès d'information pour la nomination des évêques et abbés des Pays-Bas, de Liège et du Franche-Comté*, "Bulletin de l'Institut Historique Belge de Rome", 8 (1928), p. 13-19.

¹³⁵ AV, AC, *Proc. Consist.* 10 f. 191r-223v.

¹³⁶ *Ibidem*, f. 221v.

¹³⁷ Cfr. AV, *Proc. Consist.* 11 f. 425r, 441r.

cessus instruendos auditoribus suis committentes¹³⁸. Cum tamen praxis ista contraria fuerit supra memoratae constitutioni Gregorii XIV, quae praecipiebat nuntiis, ut "non per auditores aut vicarios..., sed per se ipsos inquirendi munus exercerent"¹³⁹, ideo tandem ab a. 1739 Congregatio Consistorialis tales processus "iurisdictionis defectu laborantes" declarare et illos ad summum pontificem remittere incepit. Qui tamen, ne ecclesiae "vacationis incommoda patiantur", "ex speciali gratia in exemplum non adducenda", in speciali audientia praedictos processus apostolica auctoritate convalidare solitus erat, illosque - "hac vice dumtaxat" - admitti mandabat, sicut ex adnotationibus secretariorum Congregationis Consistorialis, illis processibus appositis, constat¹⁴⁰.

Accidebat, sed raro, ut actibus processus Romae examinatis, dubia nascerentur de integritate personae ad episcopatum promovendae. Tunc Congregatio Consistorialis mittebat nuntio confici processum informativum supplementarem. Talem commissionem super persona Stanislai Wojeński, ad episcopatum Camenecensem promovendi, obtinuit a. 1678 nuntius F. Martelli, addita instructione et elencho interrogationum, quas sequi debebat¹⁴¹.

7) **Epistulae** cardinalium, secretariatus pontificii (ab a. 1605 Secretariatatus Status) moderatorum, **ad nuntios et eorum auditores** datae. Quae principalem informationum fontem efficiunt, quibus edoceri possumus de Sedis Apostolicae praecipuis erga Poloniam consiliis et propositis, et quae nil aliud erant quam particulares instructiones ad usum nuntiorum compositae. Epistulae huiusmodi, propter earum formam, dividi possunt in:

a) epistulas secretioribus notis exaratas, quas vulgo litteras cifratas vel **in cifra** scriptas vocant, informationes secretissimas continentes. Quae plerumque in forma minutarum scribebantur, deinde arcanis notis exarabantur secundum earundem notarum indicem, ad quem uni "secretario cifrarum" ("segretario della cifra"), postea referendario appellato, aditus patebat¹⁴². Ille etiam epistulas nuntiorum arcanis notis scriptas legebat et explicabat, "secondo giornalmente arrivarno"; deinde tradebat eas "alli Ill.mi Supremi Secretarii pro tempore, ... appresso li quali restavano"¹⁴³. Ad componendas

¹³⁸ Plures huiusmodi processus instruxerunt: auditor Opatii Pallavicini (1680-1688) Iacobus Maria ab Unda (cfr. AV, *Proc.Consist.* 83 f. 452r-462r, 560r-581r et 85 f. 305r-316r, 417r-431r) et praesertim - "vigore commissionis sibi a nuntio datae" - Petrus Franciscus Giannini, auditor Camilli Paulucci (cfr. AV, *Proc.Consist.* 123 f. 556r-600r et 124 f. 64r-79v, 774r-786v).

¹³⁹ § 7, cfr. Bullarium Romanum IX, p. 421.

¹⁴⁰ Acta 24 talium processuum convalidatorum invenire potui inter AV, *Proc.Consist.* 123-150 (annorum 1739-1762), inter quos aliqui invalidi erant eo quod nuntius testes "ex auditu tantum" admisit.

¹⁴¹ Vide App. N. 19.

¹⁴² Cfr. Kraus PSS, p. 201. In hereditate post Garampium, referendarius "della cifra" annis 1766-1772, relicta, servatae sunt aliquot "chiavi delle cifre con le Nunziature", cfr. AV, F. Garampi, ms. 145.

¹⁴³ Cfr. *Libro di diverse lettere messe in cifra da diversi Nuntii et Vicelegati [...] nel Pontificato di [...]*

cifras usurpabantur variae arcanis notis scribendi rationes, a pontificiis huius artis peritis excogitatae. Quorum maxime egregius fuit Maffeus Argenti, annis 1591-1605 pontificius a notis secretioribus secretarius, qui non solum copiosam collectionem epistularum, a se et a patruo suo et praedecessore, Ioanne Baptista Argenti (1585-1591), arcanis notis conscriptarum et enodatarum post se reliquit, sed etiam auctor fuit "Tractatus de ratione arcanis notis scribendi"¹⁴⁴. In primam mentionem de litteris arcanis notis ad nuntium apostolicum in Polonia (Zachariam Ferreri) scriptis iam anno 1520 incidimus¹⁴⁵; primus autem, ad nostros dies asservatus, secretiorum notarum index (ad usum Camilli Mentovato) compositus est a. 1558¹⁴⁶. Epistulae vero eiusmodi notis exaratae non multae servatae sunt, nam postquam enodatae et explicatae erant, supervacaneae esse videbantur et propterea debebantur; servabantur autem illae, quae explicatae (vulgo "decifratae") erant.

b) Litteras **confidentiales**, quas vocabant; erant litterae ordinariae, quarum argumentum et contenta nuntio cum aliis non erant communicanda; eiusmodi litterae ineunte saeculo XVIII primum apparuerunt¹⁴⁷.

c) Litteras **ordinarias**; quae omnium frequentissimae erant et plerumque semel in hebdomada per publicos cursores Venetos aut Vindobonenses vel, postulante necessitate, per quoslibet tabellarios, cum eorum copia offerretur, mittebantur¹⁴⁸.

Si formam consideres, in qua Curiae Romanae litterarum commercium cum nuntiis apostolicis in Polonia ad nostros usque dies servatum est, eiusmodi litterae dividi possunt in:

a) litteras **originales**, ex toto manu auctoris exaratas (autographum vel chirographum), vel a secretario scriptas et ab auctore propriae manus subscriptione confirmatas; in earum tergo, ubi ponebatur nomen personae, cui inscriptae erant, praeter sigillum vel saltem eius vestigium, saepissime

Sisto V [...] discifratu da Giovanni Battista Argenti di bo. me., secretario delle cifre di Sua Beatitudine, BV, Chigi, M. II.51 f. 1r.

¹⁴⁴ Publicavit illa Meister GS, p. 125-170. Ibidem (p. 51-65) de utroque Argenti. Collectio notarum secretiorum, ab eis excogitarum et textuum explicatorum servatur in BV, Chigi, M. II. 43-III.76.

¹⁴⁵ C. Guasti, in appendice ad editionem epistularum card. Iuliani de' Medici (1515-1520), mentionem facit etiam "cifre ai nunzi di Polonia", cfr. *I manoscritti Torrigiani donati al R. Archivio di Stato di Firenze*, "Archivio Storico Italiano", Serie III, 26 (1877), p.177.

¹⁴⁶ Servatur in AV, *Concilio di Trento* 132 f. 179r-180v. Claves notarum secretiorum, a nuntiis Polonis saeculi XVI parte posteriore usurpatae, publicaverunt: Meister GS, p. 235-237, 326-328, 379-388, 400-402 ("cifra" Io. Francisci Commendone 1563, Hieronymi de' Buoi 1585, Antonii Possevini et Hannibalis de Capua 1586, Hippolyti Aldobrandini 1588); Biaudet CD, ("cifra" Hannibalis de Capua 1587) et Kartunnen CD, (notae secretiores Germanici Malaspina, cardinalis Caetani, Benedicti Mandina et Claudii Rangoni, 1592-1606, quae in BV, Chigi, M. II.56 servantur).

¹⁴⁷ Just EPN, p. 249; vetustissimae litterae confidentiales pro nuntiis Polonis proveniunt ex a. 1740, cfr. AV, *Nunz. Pol.* 231.

¹⁴⁸ Cfr. Wojtyška PP, p. 203-204 (ad annos 1548-1563). Frequentia epistularum annis sequentibus datarum adhuc exploranda est. Quae hucusque in lucem prodierunt studia demonstrant nullam hac in re mutationem secutam esse.

(saepius tamen in litteris a nuntio ad secretarium status scriptis) legitur earum summarium in cancellaria confectum et annotationes de die, quo ad eum, cui destinatae erant, allatae sunt, ac de argumentis, quae in eis tractantur¹⁴⁹. Inscriptio et sigillum, in tergo posita, non plus inveniuntur in litteris originalibus inde a fine saeculi XVII, quando epistulae in buxidis (involucris chartaceis) collocari coepta sunt. Quae buxidae solae inscribentur et sigillabantur, ita ut plures litterae in uno involucro transmitti possent, nulla necessitate unamquamque separatim inscribendi et sigillandi. Cum buxidae illae generatim non conservarentur, ideo saepe accidebat, ut litterae ipsae annotationibus de earum a destinatario receptione et responso ad eas dato carent¹⁵⁰;

b) **minutas** (alias concepta) epistularum, quae primum a secretario componebantur, deinde a vero ipsarum auctore legebantur et corrigebantur. In collectionibus ad nostra tempora servatis omnes minutae litterarum ad nuntios datarum, in margine vel in dorso exaratam habent maiusculam litteram "R", quae indicat earum copias in librum registorum inscriptas, ex minuta, non vero ex originali, quod cito mittendum erat, confectas esse¹⁵¹;

c) litteras **registratas**, quae scil. ex minutis (cum emendationibus) descriptae et in librum consulto ad id institutum (alias librum registorum), temporis quo expediebantur ordine servato, relatae sunt; eiusmodi copiae saepe vel omnino carent dato, vel eius loco legitur tantum: "datum ut supra", quod non semper - praesertim saeculo XVI - significat illarum datum idem esse ac epistulae praecedentis, nam saepe minutae dato carentes in eodem loco simul deponerentur et nonnisi post aliquod temporis spatium in libros registorum referebantur¹⁵²; si minuta dato instructa, ex qua litterae in registorum inscribentur, emendanda erat eiusque expeditio procrastinanda, tum inter datum minutae, epistulae registratae et epistulae originalis, vel etiam inter eiusdem epistulae duas in eundem librum registorum sub duobus datis inscriptiones, non parva discrepantia esse poterat¹⁵³. A registorum epistularum,

¹⁴⁹ Cfr. ex. gr. epistulas Honorati Visconti a. 1632 datas, in AV, *Nunz. Pol.* 43.

¹⁵⁰ Antiquiores, quas invenimus, huius generis litterae sunt illae, quas card. secretarius status Fabricius Spada scripsit nuntio Andreae Santacroce a. 1690-1696 (cfr. Roma, AS, *Arch. Santacroce*, mss. 1222-1225, 1228-1229).

¹⁵¹ Cfr. ex. gr. concepta epistularum card. Petri Aldobrandini ad nuntium Claudium Rangoni, annis 1602-1604 missarum, AV, *Carte Borghese* 59, fasc. 2b (s.f.). De minutis in genere cfr. Kraus PSS, p. 196.

¹⁵² Cfr. *Minute del registro delle lettere a Mons. Malaspina, nunzio in Polonia 1595, 1597, 1599* (AV, *Carte Borghese* 59, fasc. 2a s.f.) cum adscripto supra: "sono già registrate". Multae minutae dato carentes servantur in fasc. 1 (*Minute a diversi nunzi, 1614-1621*) eiusdem voluminis. Cfr. Kraus PSS 200, 251-269.

¹⁵³ Huius rei testes sunt inter alia litterae secretarii status Francisci Barberini ad nuntium Honoratum Visconti datae, quae in registro (ex minuta descriptae) die 1 II 1631 expeditae esse videntur (cfr. AV, *Nunz. Pol.* 174A f. 172r), licet nuntius in responso suo affirmet se illas litteras die 28 I 1631 datas recepisse (AV, *Nunz. Pol.* 42 f. 142r). De huiusmodi differentiis in "expeditione" brevium pontificiorum occurrentibus, vide R. Gualdo, *Il "Liber brevium de Curia anni septimi" di Paolo II. Contributo allo tudiodel breve pontificio*, in: *Mélanges Eugène Tisserant*, T. IV/1, Città del Vaticano 1964, p. 316-317; quod

quae mittebantur (quas "missivas" vocabant), distinguenda sunt registra litterarum, quae accipiebantur (quae "receptivae" dicebantur); quae sunt, non nimis magno numero servata, copiarum epistularum originalium, quae nunquam eo conficiebantur, ut magni momenti litterarum commercium in unum congestum ad manum esse posset, vel ut illorum possessoris bibliothecam privatam locupletarent¹⁵⁴;

d) **copias** (exemplaria), diversis temporibus et ad varios usus, initio simpliciter informativos, aetate vero recentiore ad virorum doctorum historiae studiosorum necessitates accommodatos (ut sunt ex. gr. Thecae Romanae Academiae Scientiarum Cracoviensis) confectas.

8) **Litterae nuntiorum eorumque auditorum ad secretariatum pontificium** datae. Litterae eiusmodi sunt responsa ad epistulas ad eos datas et continent informationes de propria ipsorum actione, de regione, in qua munus suum explebant, de eiusdem regionis incolis, institutis, eventibus etc., et sunt pretiosus fons cognitionum ad historiam Poloniae, praesertim politicam et religiosam, pertinentium. Pondus et momentum eiusmodi epistularum ad res cognoscendas ex industria, diligentia, acumine nuntii, in colligendis notitiis et seligendis informatoribus adhibito, magna ex parte pendebat. Propterea nuntiis iniungebatur, ut familiaritatem cum illis inirent, qui plus quam alii scire putabantur, imprimis cum confessoribus regis¹⁵⁵. G. Lutz non affirmat quidem aliquando accidisse, ut nuntii, quorum nuntiaturis pervestigandis ipse operam navabat, scientes et conscii informationes corrumpere vel vitiarent¹⁵⁶, fatetur tamen accuratam lectionem epistularum, ab illis Romam missarum, non parum difficultatis afferre posse. Nuntii enim, multas ob causas arbitrio Curiae Romanae et principum in illa Italiae parte dominantium, in qua bona gentilicia et dioeceses suas possidebant, subiecti et obnoxii (propter clientelam, spem futurae promotionis etc.), formam et tenorem epistularum suarum expectationibus et desideriis patronorum suorum, praesertim vero "doctrinae curiali" illo tempore vigenti, plerumque accommodare solebant (quod etiam Eduardus Kuntze in epistularum commercio Ioannis Andreae Caligarii et Iosephus Gierowski in epistulis Francisci Buonvisi animadverterunt)¹⁵⁷. Inde necessitas exoritur, ut in legendis nuntiorum epistulis contorta et difficilis "sermonis analysis" adhibeatur, ad quam per-

attinet ad minutas diplomatici litterarum commercii, quaestio adhuc examinanda est.

¹⁵⁴ Eiusmodi sunt ex. gr. registra epistularum Honorati Visconti, annis 1630-1636 datarum, quae in BV, *Barb.Lat.* 6159-6160 asservantur, ex originalibus in AV custoditis (*Nunz.Pol.* 42A, 47) transcripta.

¹⁵⁵ "Deve havere per confidente il jesuita, confessore del Re" - a. 1600 iniungebatur nuntio Claudio Rangoni (BV, *Vat.Lat.* 9427 f. 176r). Cfr. G. Lutz, *Glaubwürdigkeit und Gehalt von Nuntiaturreberichten*, QFIAB 53 (1973), p. 261, 268.

¹⁵⁶ Lutz, p. 261.

¹⁵⁷ Cfr. eorum recensione in KH, 21 (1917), p. 166 (Kuntze) et "Rivista Storica Italiana", 80 (1968), p. 160 (Gierowski).

agendam Lutz "nuntiorum epistularum commercii hermeneuticam", consulto ad id elaboratam, etiam proponit¹⁵⁸.

Genera epistularum, quae a nuntiis mittebantur, respondent plerumque illis, quae a secretariatu pontificio ad nuntios ablegabantur, ea tamen differentia, quod:

a) ordinariae litterae originales ad secretariatum pontificium plures erant uno eodemque die datae, quam epistulae secretariatus ad nuntium, ea de causa, quod nuntiis iniungebatur, "ut singula negotia separatis foliis" scripto mandarent¹⁵⁹; quo fiebat, ut saepissime nuntii sub eodem dato 6 et plures epistulas ad secretariatum status expedirent. Quae praxis, buxida in usum introducta, non tantum facilius reddebatur, sed etiam specificae formae externae litterarum ordinariarum, vulgo "**in piano**" vocatarum, originem dedit, quae inde horizontaliter in inferiore parte folii dispositae scribi coeperunt, superiore parte chartae, post allocutionem destinatario directam, omnino vacua relicta ("spatium respectus")¹⁶⁰.

Inde a fine saec. XVII haec dispositio textus non semper servabatur in litteris epistulam "in piano" concomitantibus, in eadem buxida collocatis, iis scilicet, quae "foglio a parte" vocabantur. Haec species litterarum postea "**a colonna**" vocari coepta est, eo quod earum textus, quasi in columna verticaliter dispositus, solam dexteram medietatem folii occupat, sinistra medietate omnino vacua relicta, notis faciendis destinata. Haec forma litterarum media esse videtur inter epistulam originalem ordinariam et ephemeridem (avviso), nam caret allocutione ad destinatarium in capite textus et subscriptione auctoris in eius fine; etiam locum et datum translata habet a fine eiusdem textus ad caput vacuae (sinistrae) columnae primae paginae, in cuius fundo collocatur etiam inscriptio illi, cui litterae sunt destinatae¹⁶¹. Inde a nuntiatura Camilli Paulucci (1728-1738) aliquae ex epistulis huiusmodi (illae scilicet, quae maioris erant momenti) additum habent sub dato: "a proprie mani di Sua Eminenza" (i.e. cardinalis Secretarii Status); aequiperandae sunt igitur cum epistulis **confidentialibus**, e Secretariatu Status ad nuntium missis¹⁶².

Iam fere ab initio, quo stabilis nuntiatura in Polonia instaurata est, ordinariae litterae originales, ad secretariatum pontificium datae, eadem forma ac tenore transcriptae, ad alias quoque fidas personas et Sedis Apostolicae

¹⁵⁸ *Glaubwürdigkeit*, p. 269.

¹⁵⁹ "Avvertendo che ogni negotio richiede un foglio appartato", App. N. 10. Praescriptum hoc datum fuit a curia iam a. 1635, cfr. Kraus PSS, p. 186.

¹⁶⁰ Cfr. Kraus PSS, p. 186, 198; vide specimina talium litterarum Antonii Eugenii Visconti in AV, *Nunz. Pol.* 278.

¹⁶¹ Cfr. antiquissima specimina inter epistulas Francisci Buonvisi ex a. 1675 (AV, *Nunz. Pol.* 92); maxime evolutam formam litterarum "a colonna" habent epistulae Ioannis Andreae Archetti ex a. 1777-1782 in AV, *Nunz. Pol.* 320-326.

¹⁶² Cfr. AV, *Nunz. Pol.* 158 et 250 passim.

ministeria, praesertim ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, saepe expediebantur (**duplicatae**)¹⁶³;

b) minutae epistularum, quae a nuntiis dabantur, minus accurate confici solebant quam concepta secretariatus pontificii; praeterea non signabantur littera maiuscula "R" et saepissime scribebantur in libro ad id accommodato, qui in locum libri registorum substitui poterat, si eiusmodi liber deerat¹⁶⁴;

c) registra epistularum, quae a nuntiis apostolicis in Polonia ad secretarium pontificium mittebantur (quorum vetustissimum, ad nostros usque dies non asservatum, annis 1560-1563 confectum erat)¹⁶⁵, veri similiter ex originalibus conficiebantur, nam minutae ad nostram usque aetatem conservatae quoad formam minus diligenter elaboratae esse videntur¹⁶⁶.

9) **Litterarum commercium nuntiorum** eorumque adiutorum et comitum **cum aliis**, quam pontifex maximus et eius secretariatus, personis et institutis. Inter eiusmodi personas et instituta nominandi imprimis sunt:

a) **nuntii apostolici in aliis regionibus** constituti, praesertim Venetiis et Vindobonae (ad quos cum scriberent, nuntii in Polonia interdum etiam notis secretioribus, consulto eis suppeditatis, utebantur)¹⁶⁷; b) cardinales **Regni Poloniae protectores**, inde ab Alexandro Farnesio (1544-1589)¹⁶⁸ usque ad card. Ioannem Franciscum Albani (1751-1795); c) **congregationes Romanae**, praecipue Sacra Congregatio de Propaganda Fide, a. 1622 constituta¹⁶⁹; d) **reges et proceres** Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae, tam saeculares quam ecclesiastici.

Registra epistularum ad id genus personas et instituta datarum inde ab exeunte saeculo XVI in libris separatis conficiebantur¹⁷⁰. Animadvertendum imprimis videtur epistulare commercium nuntiorum, praesertim vero eorum, qui in ipsorum comitatu manebant, cum varii generis factoribus, familiaribus

¹⁶³ Eiusmodi sunt ex.gr. epistulae nuntii B. Bongiovanni ad cardinalem Ioannem Morone, annis 1560-1563 datae (AV, *Nunz.Pol.* 5A). Ex peracta indaginae sequitur eas easdem fuisse atque deperditae epistulae ad cardinalem Carolum Borromaeum. Cfr. Wojtyska PP, p. 206.

¹⁶⁴ Cfr. ex gr. minutaria Henrici Caetani ex a. 1596-1597 (AV, *Nunz.Div.* 273 f. 35r-169r) et Marii Filonardi ex annis 1635-1643 (BV, *Vat.Lat.* 8472 I/II).

¹⁶⁵ Cfr. Wojtyska PP, p. 209. Registrum epistularum a Lippomano (1556-1557) datarum vel acceptarum, ibidem memoratum, in *Archivo General de Simancas* servatum, nonnisi copiarium esse videtur.

¹⁶⁶ Cfr. minutarium Marii Filonardi (ut supra, notam 164).

¹⁶⁷ Vetustissima nobis nota "Cifra comune tra li Rev.mi Nuntii di Spagna, Francia, Germania, Polonia e Venezia" provenit ex a. 1585: "Questa cifra sarà comune acciò si possano scrivere li Rev.mi Nuntii fra di loro". Cfr. Meister GS, p. 341. Cfr. etiam Kraus PSS, p. 203. In instructionibus pro nuntiis Polonis post eum annum saepe occurrunt mentiones de litteris "cifratis" ad alios nuntios datis et ab eis receptis, cfr. ex.gr. instructionem pro Francisco Diotallevi a. 1614 ei datam, in BV, *Ottob.Lat.* 2434 f. 837r.

¹⁶⁸ Eius collectio *Carte Farnesiane* est prima ex multis collectionibus litterarum commercii protectorum Regni Poloniae cum nuntiis et aula Polona. Cfr. infra, p. 67.

¹⁶⁹ Cfr. infra, p. 51-55.

¹⁷⁰ Veterrimum est registrum Germanici Malaspina (1592-98), Romae, Bibl. Vallicelliana, ms. L. 18.

et amicis in Italia commorantibus. Paucae eiusmodi asservatae epistulae continent multas non parvi momenti notitias de vita privata, tam ipsius nuntii eiusque comitum, quam Polonorum, cum quibus eis societas intercedebat. Talis est ex. gr. singularis descriptio vitae quotidianae oppidanorum Vilnensium, quam legimus in vetustissimis id genus litteris, a Benedicto Gavello, nuntii Berardi Bongiovanni secretario, ad consanguineum suum Paulum Castro Romae habitantem, 25 XI 1560 a. datis¹⁷¹. Non carent etiam curiosis observationibus morum gentis Poloniae plures epistulae nepotum legati Caetani ad familiares illorum in Italia a. 1596 datae¹⁷².

10) Novitates vel nova (Italice **avvisi**). Sunt litterae patentes, carentes nomine illius qui scripsit et ad quem scriptae sunt, et continent informationes de eis, quae recens evenerunt in loco, ubi auctor illarum commoratus est vel unde nova, quae narrabat, accepit. Quarum nonnullae, maioris momenti consideratae, typis etiam impressae et divulgatae erant¹⁷³. Sunt itaque "avvisi" illi vetustissima nostrarum ephemeridum seu actorum diurnorum forma existimandi. Initia eorum Venetiis quaerenda sunt, quo mercatores, qui in regionibus tam in orientem quam occidentem solem vergentibus mercaturas suas exercebant, multas inde varii generis novitates apportare solebant¹⁷⁴. A medio autem saeculo XVI nuntii quoque pontificii eiusmodi novitates "per ogni via" colligere inter commissa habebant¹⁷⁵, quae deinde in Urbem missae Curiae Romanae "informationum thesaurum" locupletabant et ad penitus cognoscenda negotia, quae nulla interposita mora ex vestigio expedienda erant, non parum conferebant¹⁷⁶. Ideo mittebatur nuntiis, ut unicuique epistulae suae talia "nova currentia" annecterent¹⁷⁷. Propterea a. 1639 Secretariatus Status specialem etiam instructionem, "De modo et ratione novitates colligendi easque a secretario nuntii conscribendi" inscriptam, edidit. Quod opusculum clare demonstrat, quam magnae curae et sollicitudini Sedi Apostolicae fuerit efficax informationum acquisitio et quantam artem ea in re consecuta sit saeculo XVII¹⁷⁸.

Secundum hanc instructionem secretarius nuntii informationes suas ex optimis fontibus haurire debebat, praesertim ante cubicula principum et apud publicorum tabellariorum praefectos, deinde eas ex vestigio conscribere

¹⁷¹ Epistula haec servatur in BV, Vat. Lat. 6436 f. 254r-255r.

¹⁷² Cfr. Arch. Caetani Romae, nn. 147351-147729 passim et praesertim 151300.

¹⁷³ Cfr. K. Zawadzki, *Gazety ulotne polskie i Polski dotyczace, XVI-XVIII w.*, (inter quas inveniuntur etiam aliquot "avvisi", in cancellariis nuntiorum confecti).

¹⁷⁴ Cfr. Sägmüller, *Die Anfänge*, p. 304.

¹⁷⁵ Vide App. N. 5 (n. 8). Cfr. etiam App. N. 30.

¹⁷⁶ Cfr. Konrad Repgen, *Zur Diplomatie der Nuntiaturreichte. Dienstvorschrift für das Abfassen von Avvisi aus dem Jahre 1639*, RQ 49 (1954), p. 123-124.

¹⁷⁷ Cfr. App. N. 10.

¹⁷⁸ Repgen, p. 124.

nullo proprio commentario adiuncto ("non discorrere, ma puramente avvisare") et quam celerrime nuntio porrigere, qui eas prima oblata occasione Romam expedire tenebatur (plerumque propriis litteris annexas). Postulabatur etiam a nuntiis vel eorum secretariis, ut ad melius cognoscendas regiones, quae describebantur, tabulas geographicas conficerent. Cum secretarius detexisset et sibi certo persuasisset prius missas informationes falsas fuisse, obligatus erat ad eas statim corrigendas. Errores vitandi erant etiam in scribendis personarum nominibus et cognominibus, quorum rectam scribendi rationem, in singulis regionibus receptam et observatam, secretarius bene discernere cogebatur¹⁷⁹.

Non est necesse demonstrare, quam diligenter et avide eiusmodi novitates, "ex rerum usu et experientia ortae", ut scil. quotidianis necessitatibus satisfacere possent¹⁸⁰, in Secretariatu Status legerentur et quam assidue colligerentur¹⁸¹, et nunc saepe viris doctis pluris fiant quam ipsae nuntiorum epistulae.

11) **Diaria, itineraria.** Est genus scriptorum, quod in actis nuntiaturae Polonae tardius apparuit. Vetustissimum huiusmodi documentum esse videtur *Relatione del viaggio fatto dal card. Aldobrandini, legato in Polonia, l'anno 1588*, quod est diarium itineris eiusdem legati in Poloniam facti, spatium temporis a 24 X 1588 a. ad 18 VII 1589 a. comprehendens, a secretario cardinalis, Francisco Bordino, conscriptum¹⁸².

Omnium tamen notissimum est diarium legationis cardinalis Henrici Caetani (1596-1597), ab eius caerimoniarum magistro, Ioanne Paulo Mucante, exaratum¹⁸³. Amplissimum autem est, nam 6 voluminibus constat, diarium nuntiaturae Iosephi Garampi (1772-1776)¹⁸⁴. Breviter dicere possumus, decem eiusmodi, plus vel minus accuratas, operae nuntiorum et legatorum pontificiorum in Polonia descriptiones nobis notas esse.

¹⁷⁹ *Modo di procurare gli avvisi et di stendere il foglio continuato di essi per il segretario d'un nunzio*, ed. a Conrado Reppen, ut supra, p. 124-126.

¹⁸⁰ Reppen, p. 124.

¹⁸¹ Pars earum, una cum epistulis, quibus annexae erant, ligata extitit (ex. gr. "avvisi" Honorati Visconti a. 1634-1636, in BV, *Barb.Lat.* 6586), pars efficit nonnunquam volumina separata intra litterarum commercium nuntiorum ("avvisi" Marii Filonardi ex annis 1636-1643 in BV, *Barb.Lat.* 6598), plerisque tamen in tabulario Secretariatus Status creata est specialis sectio "Avvisi" appellata (hodie AV *Avvisi*).

¹⁸² Autographum servatur Romae, in Bibl. Vallicelliana, ms. N.34 f.197r-213v.; fragmentum alterius sat succinctae descriptionis itinerarii huius legati ed. V. Meysztowicz, *Antonii Martinelli relatio de Hippolyti Aldobrandini legatione ad Sigismundum III regem Poloniae*, "Antemurale", 12 (1968), p. 29-42.

¹⁸³ Cfr. J. W. Woś, *Il diario di viaggio in Polonia di Giovanni Paolo Mucante, maestro di cerimonie del card. legato Enrico Caetani*, "Annali della Scuola Normale Superiore di Pisa", Serie 3, Quaderno 3 (1973), p. 605-613. Cfr. Tab. XVI.

¹⁸⁴ Servatur in AV, *Fondo Garampi*, mss. 69-73 et 191. De temptationibus eius edendi a Matthia Loret, cfr. infra, cap. II, p. 139.

12) **Libri rationum.** Qui sunt triplicis generis:

a) libri Camerae Apostolicae, qui continent *rationes viaticorum et salariorum* nuntiis persolutorum¹⁸⁵; indices summarum, annis 1675-1692 a nuntiis regi Poloniae traditarum ratione auxilii ad bellum cum Turcis gerendum ("per li sussidi della guerra contro il Turco")¹⁸⁶; necnon parvo numero servatas apochas et litterarum commercium nuntiorum cum praecipuo Sedis Apostolicae aerario¹⁸⁷;

b) libri impensarum ("libri delle spese") a nuntiis factarum, qui plerumque nuntiorum proprii erant et propterea post nuntii in Urbem reditum in Cameram Apostolicam non tradebantur; quam ob rem pauci ad nostros dies asservati sunt, quamquam nobis constat libros huiusmodi saltem inde a nuntiatura Berardi Bongiovanni (1560-1563) exstitisse¹⁸⁸;

c) rationes satellitum seu stipatorum (qui scil. a rege Poloniae nuntiis comites et custodes apponebantur), continentes indices sumptuum, ad nuntios hospitio excipiendos factorum temporibus illis, cum nuntii adhuc saltem ex parte sumptibus principum sustentabantur (saeculo XVI)¹⁸⁹.

13) **Relationes finales.** Quas nuntii plerumque, postquam munere expleto Romam reverterunt, in Curia reddere solebant. Relationes istae imprimis ad expletionem et absolutionem munerum, nuntiis a Sede Apostolica commissorum, spectabant, et ad eas conficiendas saltem saeculo XVI et prima saec. XVII parte, nuntii omnino tenebantur; non semper tamen necesse fuit eas scriptis mandare, praesertim cum nuntius rationem missionis suae in cardinalium consistorio redderet¹⁹⁰. Saeculo XVI, cum Polonia in Occidentalis Europae regionibus adhuc parum nota esset, consuetudo erat, ut etiam relationes a nuntiis sensu latiore conficerentur et assumerent formam opus-

¹⁸⁵ Talis est liber *Assegnamenti ai nunzi*, in Archivo Status Romae servatus (Fondo Camerale II, *Nunziature*, scrinium 1). Inscriptiones impensarum ad sustentationem nuntiorum usque ad medium saeculum XVI factarum, inveniuntur, una cum inscriptionibus aliarum impensarum permixtae, in registris privati thesauri pontificii (Tesoreria Secreta), cfr. Wojtyška PP, p. 213.

¹⁸⁶ Romae, AS, F. Camerale II, *Nunziature*, scrinium 8, fasc. 15. Cfr. supra, p. 9.

¹⁸⁷ Cfr. ex. gr. fasciculum eiusmodi documentorum ex annis 1767-1776 in supra nominato fasc. 15, sub nro 8.

¹⁸⁸ Cfr. Wojtyška PP, p. 219. Fragmentum originalis libri impensarum Hannibalis de Capua (1587-1591) servatur in AV, *Nunz. Pol.* 27A, f. 92r-101v; hodie deperditum *Registro delle spese* Honorati Visconti servabatur olim in Bibl. Czartorysciana Cracoviae, ms. 1344 (cfr. S. Kutrzeba, *Catalogus codicum manu scriptorum Musei Principum Czartoryski Cracoviensis*, T. 2, Cracoviae 1909; suas autem impensas (*Spese di viaggio della Nunziatura di Polonia*) a. 1668 indicavit G. Marescotti (cfr. eius *Vademecum*, p. 132-134).

¹⁸⁹ Index eiusmodi impensarum, ad nuntium Hieronymum Rorario a. 1540 hospitio excipiendum servatur in AGAD, ASK I, *Rachunki Poselstw* [Rationes legationum], vol. 1 f. 28r.

¹⁹⁰ Hoc modo 19 IV a. 1523 relationem suam de missione in Suetiam peracta fecit Ioannes Franciscus Cito de Potentia, postea nuntius in Polonia, cfr. *Diari di concistori del pontificato di Adriano VI*, ed. A. Mercati, in: *Studi e Testi*, T. 157, Città del Vaticano 1951, p. 103-105. Similiter Hieronymus Martinengo a. 1548 relationem suam oretenus fecit (cfr. Wojtyška PP, p. 226).

culi, quo regio eiusque homines et instituta sacra et profana, ad vitam publicam et socialem pertinentia, accuratius describerentur. Inde a *Descrittione del Regno di Polonia* a. 1557, auctore Aloisio Lippomano¹⁹¹, semper in scriptis tradebantur et erant sui generis *vademecum*, ut aiunt, in negotiis Polonis in Curia Romana expediendis et in apparandis instructionibus ad usum futurorum nuntiorum accommodatis. Quae, cum natura secretae non fuerint, libenter in plura exemplaria transcribebantur ad usum illorum, qui de Polonia et eius incolis accuratius et penitius edoceri cupiebant. Quapropter in multis bibliothecis, praesertim in aulis regum et principum, reperiri possunt.

Inter has maxime nota fuisse videtur amplissima relatio Galeatii Marescotti, a. 1670 conscripta, a qua inchoatur nova species relationum descriptivarum, illarum scilicet, quas nuntii in Polonia non tam pro informatione curiae, quam suorum successorum componere coeperunt, et ideo cum illas scriberent, non tam ad mores et instituta Polonorum, quam potius ad particularem organisationem et modum agendi nuntiaturae in conditionibus Poloniae animum convertebant. Relatio Marescotti, recte ab editore *Vademecum pro nuntiis apostolicis in Polonia* nuncupata, censebatur a contemporaneo quodam curiali perito "tam completa, tamque exacta, ut nil plus in ea desiderari possit, quia non solum specificat omnes praerogativas nuntiaturae, sed addit etiam informationes de itinere, expensis, provisionibus, victu, et in claram lucem ponit omnia, quae desiderari possint"¹⁹². Relatio haec, compilata partim ex parvis huius generis relationibus antecedentibus¹⁹³, partim ex propria nuntii experientia et observatione, aucta deinde a. 1675 ab Angelo Ranuzzi (cuius tamen opus deperditum est)¹⁹⁴ et locupletata particularibus relationibus nuntiorum secundae partis saeculi XVIII¹⁹⁵, quasi fundamentum erat scientificae elaborationis eiusdem materiae in *Indice rerum* a Iosepho Garrampi annis 1772-1776 confecto¹⁹⁶.

Relationes in forma descriptionis confectae, interdum amplissimae, saepe etiam a personis, comitatum nuntii efficientibus, scribi solebant. Duae vetustissimae (Fulvii Ruggieri et Pauli Giovannini), a comitibus nuntii Ioannis Francisci Commendone (1563-1565) exaratae sunt¹⁹⁷. Difficile dictu, ad usum-ne Curiae Romanae an sponte ab auctoribus scriptae sint. A secunda saec. XVII parte relationes, tam officiales, ut vocant, quam descriptivae, rariores fiunt, tum quia omnia rerum Poloniae adiuncta iam sufficienter nota in Curia Romana existimabantur, tum quia nuntii, expleto officio, Romam

¹⁹¹ BV, *Chigi*, R.I. 26 f. 6v-10r.

¹⁹² App. N. 15. De editione ab A. Kakowski curata cfr. Tab. XXIX.

¹⁹³ Cfr. App. NN. 7-8, 10, 13.

¹⁹⁴ Cfr. App. N. 15.

¹⁹⁵ Cfr. App. NN. 27, 30, 32.

¹⁹⁶ Vide infra, cap. II, p. 84.

¹⁹⁷ Relatio Fulvii Ruggieri in versione Polona edita est ab Erasmo Rykaczewski (*Relacyje* I, p. 113-165); relationem Pauli Giovannini publicavit Iosephus Korzeniowski (*Analecta Romana*, p. 175-205).

iam non revertebantur, sed recta in nuntiaturam Vindobonensem transferri solebant, et ita munus suum quodammodo continuabant.

Breviter de iis relationibus, quae conservatae sunt, dici potest, cum eae tam multas et varias cognitiones de Polonia eiusque hominibus et rebus afferant, omnia earum genera fontes esse maximi momenti et historiae studiosis utilissimos.

14) **Documenta annexa** (appendices). Sunt omnis generis scripta, non a nuntiis edita neque ad eos directa, sed ab ipsis collecta, transcripta et Romam missa vel in tabulario nuntiaturae cumulata. Maximam et maximi momenti collectionem eiusmodi documentorum efficiunt acta comitiorum Polonorum (alias dietarum), annis 1760-1793 celebratorum, quae in Tabulario Nuntiaturae Varsaviensis Vaticani (mss 13-28) asservantur¹⁹⁸. Acta comitorum antecedentium, sicut et alia similia documenta, saepe typis edita, magno numero inveniuntur quoque inter epistulas, quibus annexa erant. Annexis adnumeranda sunt etiam folia, in quibus minute describuntur ordo et caerimoniae primae audientiae nuntiorum saeculi XVIII apud regem vel dietam Poloniae habitae vel habendae. Cum omnia id genus documenta Gallico idiomate scripta sint, recte supponi potest eas a magistro caerimoniarum aulae regiae confecta esse et deinde nuntio ad confirmandum porrecta. Omnia describunt ordinem in audientia sequendum¹⁹⁹, excepto omnium antiquiore caerimoniali nuntii Camilli Paulucci, quod audientiam die 2 VI 1729 Varsaviae peractam describit²⁰⁰.

3. De praecipuis documentorum collectionibus

Habent sua fata libelli, scripsit poeta. Quae supra diximus documentorum, ad nuntiaturam Polonam pertinentium, genera, saepe in locis minime expectatis inveniri possunt²⁰¹. Plurima tamen eorum illic reperiuntur, ubi - ad normam universe receptam documenta coacervandi - servari deberent, scil.

¹⁹⁸ Cfr. Meysztowicz ANV, p. 47-49.

¹⁹⁹ Cfr. caerimoniale audientiae A. E. Visconti 1760 (Theiner VMPL IV/2, p. 43-44), A. Durini 1767 (ibidem, p. 182) et I. Garampi 1773 (*Zbiór pamiętników do dziejów polskich*, wyd. Włodzimierz Broel-Plater, T. 4, Warszawa 1859, p. 214-224).

²⁰⁰ Vide App. N. 26.

²⁰¹ Ita ex. gr. per errorem epistula nuntii Aloisii Lippomano ad archiepiscopum Nicolaum Dzierzowski, 12 X 1555 data, collectioni epistularum episcopi Varmiensis Fabiani Luzjański ex a. 1520 inserta est (Cracoviae, BCz 1594, p. 653-654).

in tabulariis illorum, qui vel ea ediderunt vel acceperunt.

1) **Tabularium Secretariatus Status.**

Nuntiaturae in servitio et ministerio secretariatus pontificii (qui ab a. 1605 in Secretariatum Status transformatus est) erant et ex illo in omnibus pendebant²⁰². In illo ergo servari deberent tum litterarum commercium et relationes, quae a nuntiis Romam mittebantur, tum concepta et registra epistularum, quae ad eos dabantur. Revera tabularium Secretariatus Status, quod nunc Archivi Secreti Vaticani partem efficit, copiosissimam eiusmodi documentorum collectionem possidet²⁰³, quae secundum regiones, in quibus Sedes Apostolica nuntios suos habuit, dividitur. Itaque sectio **Nunziatura di Polonia** (recens etiam *Secretariatus Status, Polonia*) nuncupata de nomine continet 396 manuscripta principalia et 24 additamenta. Cum tamen multa volumina desiderentur, aliorum vero numeratio saepe duplicetur, ergo de facto in sectione ista asservantur 432 unitates archivales, quas vocant (codices et fasciculi non ligati), documenta continentes, quae temporis spatium a medio saeculo XVI usque ad initia saeculi XIX complectuntur²⁰⁴.

Praeter omnem expectationem, hoc ingens documentorum corpus non est uniforme et abundat lacunis. Quod inde ortum est, quod usque ad initium saeculi XVIII cardinales nepotes et secretarii status, tum concepta (minutas) et registra epistularum suarum ad nuntios datarum, tum nuntiorum originalia responsa tamquam proprietatem suam considerare solebant et saepe in privatis bibliothecis suis illa deponebant²⁰⁵. Pars vetustissima sectionis Polonae (mss. 1-34 et 171-174) provenit ex illo temporis intervallo, cum annis 1611-1628 iussu Pauli V in novis aedibus Archivi Secreti Vaticani prima tabularii Secretariatus Status fundamenta iacerentur²⁰⁶. Tum demum ex antiquo tabulario Camerae Apostolicae in Vaticanum translata sunt manuscripta vetustissima, quattuor numeris consistente signatura praedita (inter alia epistolae originales ad nuntium Hannibalem de Capua datae, quae post eius mortem a. 1595 a Camera Apostolica sequestro retentae sunt)²⁰⁷. Quae cum registris epistularum, ex Secretariatu Status annis 1567-1592 ad nun-

²⁰² Cfr. A. Kraus, *Secretarius und Sekretariat. Der Ursprung der Institution des Staatssekretariates und ihr Einfluss auf die Entwicklung moderner Regierungsformen in Europa*, RQ 55 (1960), p. 43-84.

²⁰³ Secundum computationem B. Katterbach continet 5789 codices manuscriptos, cfr. *Enciclopedia Italiana*, T. 4, Roma 1929, p. 89; cfr. E.-L. Halkin, *Les Archives des Nonciatures*, Bruxelles-Rome 1968.

²⁰⁴ Cfr. Savio, *De actis Nuntiaturae Poloniae, quae partem Archivi Secretariatus Status constituunt*, Vaticani 1947 (accuratum inventarium totius sectionis). H. Fokciński opinatur in illo servari 435 unitates archivales, cfr. eius *Stan kwerendy Instytutu w Archiwum Secretum Vaticanum* [Status investigationum, in Archivo Secreto Vaticano ab Instituto factarum], "Informationes", 1 (1976), p. 58 et 67.

²⁰⁵ Moroni II, p. 258-286; Kraus GPS, p. 13-14 (solum de pontificatu Urbani VIII).

²⁰⁶ Cfr. Moroni II, p. 283.

²⁰⁷ Mss. 23-25, 27A, 28 et 34 (reliqui servantur in AV, *Lett. di Principi* 47, 50-51). Cfr. Woś AC, p. 36, 285.; cfr. etiam Savio, p. 7-14, 36.

tios in Poloniam missarum, et cum Polono litterarum commercio cardinalis Ioannis Francisci Commendone, Tabulario Vaticano a primo eius praefecto, cardinali Bartholomaeo Cesi (†1621), dono dato²⁰⁸, coniunctae, cardinem efferunt futurae sectionis Poloniae tabularii Secretariatus Status.

Series fere non interrupta litterarum commercii nuntiorum apostolicorum in Polonia cum secretariis status in sectione *Nunziatura di Polonia* incipit nonnisi ab epistulis Ioannis Baptistae Lancellotti (1622-1627) et respondentibus eis registris epistularum, ex Secretariatu ad eundem nuntium eiusque successores missarum²⁰⁹. A. 1731, cum praefectus tabularii Petrus De Pretis tabularium Secretariatus Status ordinare statuisset, in sectione Polona servabantur ad 200 volumina manuscriptorum, diplomaticum litterarum commercium usque ad annum 1721 comprehendentia²¹⁰. Quoniam vero manuscripta ista (similiter ac in sectionibus aliarum regionum) eo ordine signata sunt, quo in tabularium pervenerunt, De Pretis ergo eiusmodi eorum dispositionem "emendare" constituit, omnia manuscripta in tres partes dividendo, ita ut in primo et secundo armario sectionis *Polonia* collocaverit epistulas originales (mss. 1-170), in tertio autem registra epistularum, ex Secretariatu ad nuntios datarum (mss. 171-190), necnon earundem epistularum minutas (mss. 191-208) deposuerit²¹¹.

Talis tamen ordo, ut De Pretis ipse fatetur, "satis observari nequivit, tum quia plures deficient libri vel in hoc archivo nunquam repositi vel ab eo forsan abstracti, tum etiam quia in uno eodemque codice epistolae a diversis diversisque conscriptae simul unitae reperiuntur, tum demum quia in illis colligandis minime servata fuit series annorum, quemadmodum primo aspectu dignoscitur ab ipsorum librorum intitulationibus"²¹². Quarum difficultatum consequentiam in sectione Polona facile perspicere possumus. Reperiuntur enim in illa, cum nuntiorum Polonorum litteris una colligatae, multae exterorum nuntiorum epistulae²¹³; permultae autem desiderantur epistulae nuntiorum Polonorum, una cum secunda parte a cardinali Bartholomaeo Cesi tabulario donatarum epistularum Ioannis Francisci Commendone et Hannibalis de Capua, quae in sectiones aliarum nuntiaturarum et *Lettere di Prin-*

²⁰⁸ Mss. 1A, 4-6,9 (reliqui servantur in AV, *Let. di Principi* 22-27). Cfr. Moroni II, p. 281 et XI, p. 140. Ad eandem collectionem veri similiter pertinent etiam manuscripta, ex hereditate post nuntios relicta provenientia: registrum litterarum commercii Germanici Malaspina cum secretariatu pontificio annis 1592-1594 habiti (ms. 35) et collectio originalium epistularum Vincentii Lauro ad cardinalem Tolomaeum Gallium annis 1566-1577 datarum (ms. 171).

²⁰⁹ Ms. 38 et sequentia, ms. 174A et sequentia.

²¹⁰ Cfr. P. De Pretis, *Lettere della Segreteria di Stato*, AV, *Indice* 134 f. 51r-59r.

²¹¹ Ibidem. Mss. 162-170, annos 1721-1740 complectentia, et - ad idem forsan tempus pertinentia, sed deperdita - manuscripta 191 et 202-206, necnon nonnulla duplicata (littera A praedita) aliis manibus adscripta exstant. Quod demonstrat sectionem *Polonia* appellatam demum post a. 1740 ordinatam esse.

²¹² Ibidem, f. 4r-v.

²¹³ Cfr. mss. 30, 75, 153, 162, 179.

*cipi translatae sunt*²¹⁴.

Gravissimum tamen vitium "emendationum" Petri De Pretis in eo constitit, quod omnes 3 series sectionis Polonae una numeratione comprehensae, ita dispositae continuari non poterant. Quam ob rem ipse eiusmodi ordinis excogitator, et qui post illum ipsius catalogum continuaverunt, signaturas duplicatas introducere coeperant eo, ut vetustiora manuscripta recens reperta vel acquisita loco idoneo collocari possent. Hoc modo sectioni *Nunziatura di Polonia* inserta sunt i.a., sectione ipsa vetustiora, manuscripta commercii litterarum nuntii Berardi Bongiovanni annorum 1560-1563 (mss. 5A et 170A), codex originalium epistularum Francisci Simonetta ad cardinalem Scipionem Borghese, annis 1609-1611 datarum, a papa Benedicto XIII (1724-1730) "dalla libreria del card. Ottoboni" emptus (ms. 37A)²¹⁵, necnon completa collectio minutarum epistularum Iulii Piazza (1706-1707), inter epistulas eius originales ad cardinalem secretarium status Fabricium Paulucci inserta (ms. 132A).

Quod autem ad manuscripta attinet, quae finito iam Petri De Pretis catalogo confecta sunt, clare patet ne hanc quidem viam eorum collocationis iniri potuisse. Codices igitur in sectionem Polonam inserebantur in catalogum non relati. Secundum elenchum, ab archivista Callisto Marini pro Iosepho Garampi confectum, adhuc circa a. 1775 sectio *Polonia* constabat 190 voluminibus numeratis, aliquot voluminibus vetustioribus suo loco sine signatura insertis, et 13 voluminibus duplici numeratione additionali (1-7 et I-V), sine dubio ab ipso Marini in elenchum tantum introducta, praeditis²¹⁶. Cum tandem a. 1881 Tabularium Vaticanum viris doctis patefactum esset, tunc demum recentiora etiam illa manuscripta in indicem Petri De Pretis referri coepta erant. Cuius rei testimonium est, quod sub signatura 217-219, immediate post inscriptionem tempore, quo catalogus parabatur, factam, collocata sunt 3 volumina litterarum originalium cardinalis Scipionis Borghese ad nuntium Franciscum Diotallevi annis 1615-1619 datarum, quae a. 1878 Tabulario Vaticano a Gregorio Palmieri, sodali Ordinis S. Benedicti ex Monte Cassino, donata sunt²¹⁷. Adhuc a. 1894 Eugenius Šmurlo se vidisse in catalogo Petri De Pretis relata nonnisi 216 manuscripta notavit²¹⁸.

²¹⁴ Cfr. supra, notas 207 et 208. Pars epistularum Vincentii Lauro (1574-1578) servatur in *Nunziatura di Savoia* 3 et 10, Antonii Possevini (1581-1582) in *Nunziatura di Germania* 93, registrum litterarum commercii Secretariatus Status cum Ioanne de Torres ex annis 1645-1650 in *Nunziatura di Napoli* 39A; pars non contemnenda epistularum commercii eius successoris, Petri Vidoni (1652-1659), invenitur in *Nunziatura di Germania* 156-172 (!). Eiusmodi exempla plura adduci possunt (cfr. Tabulas singulorum nuntiorum).

²¹⁵ Cfr. inventarium Petri De Pretis f. 58r (ms. hoc initio signatus erat "214").

²¹⁶ Cfr. *Inventario e nota dei volumi della Nunziatura di Polonia esistenti nell'Archivio Segreto Vaticano e qui registrati secondo ordine cronologico*, AV, F. Garampi 250, fasc. "J" s.f. (24 folia).

²¹⁷ Cfr. inscriptionem in catalogo Petri De Pretis f. 58r; cfr. catalogum Petri Savio, p. 41.

²¹⁸ Šmurlo ODK (1895), p. 176-185.

Pars sectionis *Nunziatura di Polonia*, post "emendationes" a De Pretis factas orta, continet, nulla observata regula, invicem commixta tum documenta ad Secretariatum Status pertinentia, tum multa manuscripta, quae ex tabulariis nuntiorum provenerunt, qui Romae dignitate cardinalium ornati decesserunt: Alberici Archinto (†1758)²¹⁹, Camilli Paulucci (†1763)²²⁰, Fabricii Serbelloni (†1775)²²¹ et Iosephi Garampi (†1792)²²². In hoc documentorum corpus insertae sunt etiam donationes, Tabulario Vaticano iam a. 1778 factae: rara Poloniae descriptio a. 1572 exarata, a cardinali Romualdo Braschi donata²²³, et *Carte Visconti* vulgo dictae, id est 4 fasciculi continentes minutas Antonii E. Visconti tempore illo scriptas, cum munere nuntii apostolici primum in Polonia, deinde Vindobonae fungeretur²²⁴, necnon eius diarium annis 1763-1767 conscriptum²²⁵, "lasciate in Milano in mano di Sua Eccellenza il Signor Marchese D. Antonio Visconti di lui nipote, essendo stata fatta la consegna delle medesime questo di 15 luglio 1778"²²⁶. A. 1806 sectio Polona locupletata est 11 voluminibus registrarum epistularum Ioannis Andreae Archetti (1776-1783), quae ab heredibus eius "per volere di Pio VII" Tabulario Vaticano tradita sunt²²⁷, necnon 2 voluminibus similium registrarum nuntii Petropolitani Thomae Arezzo, annos 1802-1806 comprehendentium²²⁸, et integra collectione *Polonia-Russia* appellata (mss. 343A-354), continente multa manuscripta, ex tabulario ultimi nuntii apostolici in Polonia, Laurentii Litta (†1820), eiusque successorum Petropoli munere suo functorum, deprompta.

²¹⁹ Insimul 17 manuscripta; in quibus 6 volumina originalium epistularum auditoris Alberici Archinto, Andreae Vincentii Buti, Varsavia Dresdam missarum, ubi nuntius annis 1746-1754 residebat (mss. 363-368); 3 volumina registrarum responsionum eiusdem Archinto: ad auditorem (ms. 369), ad Secretariatum Status (ms. 370) et ad multas alias personas (ms. 390); 8 volumina originalium epistularum et "cifrarum" Secretariatus Status ad nuntium datarum (mss. 375-382); 1 volumen epistularum Congregationis de Propaganda Fide ad nuntium (ms. 383) et 2 volumina variorum scriptorum, a nuntio collectorum (mss. 392-393). Nondum inveniuntur in *Inventario* a Marini confecto.

²²⁰ Omnes epistulas originales Secretariatus Status ad nuntium annis 1728-1738 datas (mss. 222-226), 2 volumina epistularum, notis secretioribus scriptarum, ad idem temporis spatium pertinentium (mss. 244-245) et 2 volumina eius litterarum commercii, eosdem annos complectentis, cum Secretariatu Status (mss. 251-252). Omnes exstant in elencho Marini inter ab illo tantum numeratas.

²²¹ 6 volumina originalis litterarum commercii Secretariatus Status et congregationum Romanarum cum nuntio annis 1738-1746 habiti (mss. 229-232, 358, 374), necnon 2 completa registra responsionum et collectio minutarum Fabricii Serbelloni (theca 362).

²²² Epistulas notis secretioribus scriptas et confidentiales Secretariatus Status, annis 1772-1776 ad Garampium datas (mss. 239A et 239B), necnon omnes minutas eius litterarum commercii, ad tempus nuntiaturae eius pertinentis, in mss. 284-316. Reliquum epistularum commercium vide in AV, *Archivo Nuntiaturae Varsaviensis*, documenta in AV, *F. Garampi* sparsa et nonnullos codices Vaticanos in BV.

²²³ Ms. 5B. In f. 1r adnotatio archivistae Callisti Marini de dono "la mattina del 5 Aprile 1778" a cardinali Braschi tradito.

²²⁴ Mss. 388, 389, Addit.9 (pars 3) et 10 (pars 2).

²²⁵ Ms. 373.

²²⁶ Adnotatio in ms. 388; cfr. Savio, p. 70.

²²⁷ Mss. 331-340, 371; cfr. Savio, p. 58.

²²⁸ Mss. 341-342.

Quae omnia scripta omnino commixta sunt cum originali nuntiorum apostolicorum litterarum commercio et regestis Secretariatus Status, quae ultimis annis, quibus nuntiatura Varsaviensis in Polonia adhuc libera et indivisa missionem suam explebat, confecta erant. Una cum 24 voluminibus "additamentorum", continentibus reliquias collectionum cardinalium Iosephi Livizzani (†1754)²²⁹, Dominici Passionei (†1761)²³⁰ et praecipue Iosephi Garampi²³¹, in aliis sectionibus Tabularii et Bibliothecae Vaticanae dispersarum, documenta ista complent collectiones, quae in sectione *Nunziatura di Polonia* servantur. Clauduntur vero accurate confecto registro expeditionum nuntii Vincentii Lauro (1573-1578), a. 1926 a Bibliotheca Vaticana, "alla quale era pervenuto dai Padri della Maddalena in Roma", in Tabularium Vaticanum tradito (ms. 396)²³². Ultimum manuscriptum, a sectione supradicta acquisitum, est integrum volumen epistularum originalium, ex Secretariatu Status ad nuntium Andream Santacroce a. 1694 datarum, a comite Antonio Lanckoroński in quadam librorum vetustorum officina emptum et a. 1965 a Carolina Lanckorońska Tabulario Vaticano donatum²³³.

Sectio *Nunziatura di Polonia* non est unica in tabulario Secretariatus Status, in qua res ad nuntiaturam Poloniae spectantes conservantur. Nam praeter series singulas regiones complectentes, inveniuntur in eo adhuc aliquot collectiones, copiosum litterarum commercium nuntiorum apostolicorum continentes. Ad quas imprimis pertinet sectio **Nunziature diverse** vocata, in qua 308 codices documentorum ad 15 diversas nuntiaturas spectantium, spatium temporis ab exeunte saeculo XV usque ad saeculi XIX initia comprehendentium, asservantur²³⁴. A. 1731, quo Petrus De Pretis etiam huius sectionis inventarium conficiebat, servabantur in ea 10 volumina rerum Polonicarum, quae similiter ac alia, in eadem sectione deposita, ex "exemplis litterarum et aliis" ("copie di lettere et altre cose") ex annis 1645-1676 constabant²³⁵. Currente tempore numerus eorum crescebat, ita ut - translatis a. 1929 aliquibus in sectionem *Nunziatura di Polonia*²³⁶ - hodie in sectione ista custodiantur, inter alia, 26 volumina commercii litterarum nuntiorum apo-

²²⁹ Fragmenta documentorum, ad Poloniam spectantium, ex annis 1697-1747, in mss. Addit. 8-10.

²³⁰ Originale epistulae Camilli Paulucci ad Dominicum Passionei, tunc nuntium apostolicum Vindobonae, ex a. 1738, in ms. Addit. pars 2.

²³¹ Multa documenta vetera, annum 1541 attingentia, exemplaria bullarum et brevium etc., ex *Fondo Garampi* in sectionem *Nunziatura di Polonia* translata.

²³² Cfr. Savio, p. 71.

²³³ Ms. 354A, in inventario Petri Savio non allatum, quod recte ad collectionem AV. *Arch. Santacroce* transferri deberet, cum ad tabularium familiae nuntii, non ad Secretarium Status, antea pertinuerit.

²³⁴ Cfr. Pásztor ASV, p. 86-87.

²³⁵ Mss. nunc signata 147-153 et 252, cfr. De Pretis f. 208v, 210v.

²³⁶ Vetera mss. 119 et 120, quae nunc in AV, *Nunz. Polonia* sub signaturis 183A et 184A inveniuntur (cfr. annotationes in iisdem codicibus et in inventario De Pretis allatas).

stolicorum in Polonia cum Secretariatu Status, annis 1563-1564 et 1595-1685 habiti²³⁷.

Non multa autem Polonica servantur in simili collectione registorum, continente litterarum commercium Secretariatus Status cum nuntiis apostolicis antea, praesertim annis 1588-1591, munere suo in Polonia functis, in alia tabularii eiusdem Secretariatus sectione, **Lettere di Principi** appellata²³⁸. In hac sectione continentur tamen - praeter non paucas magni momenti epistulas originales regum et aliorum procerum Polonorum ad Sedem Apostolicam datas - in variis codicibus sparsae aliquot epistulae nuntiorum apostolicorum in Polonia vetustiorum: Marci Antonii Maffei (1553)²³⁹, Camilli Mentovato (1558-1559)²⁴⁰ et iam supranominatorum Ioannis Francisci Commendone et Hannibalis de Capua²⁴¹. Singulae tantum epistulae nuntiorum in reliquis duabus sectionibus tabularii Secretariatus Status, *Lettere di Vescovi* et *Lettere di Particolari* nuncupatis, reperiri possunt.

2) Tabularium Nuntiaturae Varsaviensis.

Sectioni Polonae in Vaticano Secretariatus Status tabulario Varsaviae tabularium nuntiaturae respondebat. Quod tamen tabularium satis tarde institutum est. Nam "usu vel intolerando potius abusu obtinuerat, ut quilibet nuntius Polonia discedens secum auferret asportaretque omnia ab ipso legationis suae tempore acta et pertractata, iis dumtaxat relictis, quae in acta Cancellariae iam relata, ad forum contentiosum et gratiosum, ut aiunt, pertinerent"²⁴². Quapropter vetustissimum nuntiaturae tabularium litterarum commercio (tam originalium, quam in librum registorum relatarum) omnino carebat. Supramemorati autem libri, in quos registra actorum contentiosorum et gratiosorum referebantur, nonnisi ab a. 1578 incipiebant (*registrum Caligarii*)²⁴³. Erat ergo haec vetustior pars archivi nuntiaturae fructus labo-

²³⁷ Mss. 7, 107, 146-153, 210, 212-216, 218-219, 221-222, 226, 229-230, 232, 252. Ms. 271 continet scripta Congregationis "per gli Affari di Polonia" ex a. 1705, ms. vero 273 minutas epistularum card. legati Henrici Caetani ad Secretariatum Status, annis 1595-1596 datarum. Brevissimum inventarium eiusdem collectionis invenitur in aula consultatoria Archivi Vaticani, *Indice* 1026; excerptum ex eo confecit W. Müller, *Polonica w zespole Nunziature Diverse w Archiwum Watykańskim* [Polonica in sectione Nunziature Diverse Tabularii Vaticani], "Sprawozdania Towarzystwa Naukowego KUL", 14 (1963-1964), p. 189-190. Ad hodiernos usque dies non est statutum, utrum principalia eiusdem sectionis manuscripta sint registra in cancellaria confecta, an copiarum tantum litterarum commercii nuntiorum, cfr. Kraus GPS, p. 14.

²³⁸ Mss. 146B-207. Brevem eorum indicem scripsit De Pretis (*Indice* 134 f. 191r-192v); desunt hi codices in inventario analytico originalis litterarum commercii in sectione illa servati (*Indici* 1017-1018).

²³⁹ Ms. 19 f. 135r-137v.

²⁴⁰ Ms. 11 f. 235r-259v.

²⁴¹ Cfr. supra, p. 41-42.

²⁴² Garampi IR (AV, *Indice* 190 f. 8r).

²⁴³ Ms. nr 1 Archivi olim Nuntiaturae in AGAD, cfr. infra, p. 50.

rum non secretariorum nuntiorum, sed cancellariorum. Libri ab eis confecti, saltem temporis spatio a Ioanne Andrea Caligario ad Antonium Pignatelli (1578-1668), a nuntio discedente successori suo ad manus tradebantur²⁴⁴, vel - si discessus anticipabatur - illis, apud quos nuntii residebant, custodienda relinquebantur²⁴⁵. A tempore vero, quo nuntiatura propriam sedem sibi Varsaviae (una cum ordine clericorum regularium Theatinorum) erigendam curavit, Antonio Pignatelli auctore, omnia scripta cancellariae ab ipsis cancellariis custodiebantur. A quo etiam tempore officium illorum stabile et mutationibus nuntiorum minime obnoxium esse coepit, ut vel e "nomenclatura" (a Ioanne Francisco Ciacca, qui tempore Antonii Pignatelli cancellariam regebat, non plus "Cancellarii Nuntii", sed "Nuntiaturae Apostolicae Cancellarii" in actibus nominantur, qui acta non "in solita residentia Nuntii" conficiebant edebantque, sed "in Cancellaria Nuntiaturae Apostolicae")²⁴⁶ et ex muneris singulorum cancellariorum, dum nuntii mutabantur, continuatione (Andreas Fiefne Ultraiectensis primus fuit, qui 5 subsequentibus nuntiis in hoc officio operam suam navabat annis 1668-1680) conici potest. Qui cancellarii et eorum substituti (procancellarii vocati, quod officium etiam illo tempore introductum est) semper tamen a nuntiis nominabantur vel confirmabantur²⁴⁷.

His ergo cancellariis debetur, quod adhuc a. 1760 servabantur Varsaviae in tabulario nuntiaturae, secundum computationem a Ludomiro Bieńkowski factam, tantum 145 volumina registorum actorum contentiosorum et ad 30 volumina registorum actorum gratiosorum. Commercium litterarum omnino desiderabatur²⁴⁸, ita ut usque ad illud tempus tabularium nuntiaturae potius tabularium ipsius cancellariae dici posset.

Epistularum futurae dissipationi summus pontifex Clemens XIII finem tandem imponere decrevit. Qui a. 1766 severe iniunxit, ut exinde integrum epistularum commercium in tabulario nuntiaturae relinqueretur²⁴⁹. Huic iniunctioni obtemperans nuntius Antonius E. Visconti, cum a. 1767 Varsavia discederet, successori suo Angelo Durini tradidit 5 volumina epistularum ad se datarum et registra litterarum a se ad alios scriptarum, necnon primum accurate confectum tabularii nuntiaturae inventarium²⁵⁰. Secum nonnisi mi-

²⁴⁴ Ita ex. gr. mense Februario 1607 Claudius Rangoni tradidit Francisco Simonetta "scritture de la Cancellaria", quas secum Varsavia, cum successori obviam iret, Cracoviam attulerat (vide AV, *F. Borghese* II 223-224 f. 38r).

²⁴⁵ Ab initio saec. XVII "in deposito de Padri Bernardini in Varsavia", sicut a. 1621 scripsit cardinali Ludovico Ludovisi internuntius Iosephus Frentanelli (BV, *Barb. Lat.* 6580 f. 46r).

²⁴⁶ Cfr. ex. gr. "nomenclaturam" ab ipso adhibitam in AV, AC, *Proc. Consist.* 77 f. 77v.

²⁴⁷ Vide documentum nominationis procancellarii Stephani Skwarczyński a nuntio Piazza signatum 23 XI 1707 in AV, *Arch. Nunz. Vars.* 182 f. 40r.

²⁴⁸ Bieńkowski ANV, p. 125.

²⁴⁹ App. NN. 29-30. Cfr. Garampi IR (AV, *Indice* 190 f. 8v).

²⁵⁰ Servatur in AV, *Arch. Nunz. Vars.* 6 f. 282r-283v; descriptionem eius obtulit Bieńkowski ANV p. 126. Aliud illius exemplar (*Carte e documenti che si lasciano da Mons. Visconti per Mons. Durini*, forsitan

nutas abstulit²⁵¹. Sed iam Durini minus integer et honestus fuit. Nam a. 1772 Iosepho Garampi tradidit tantum acta ab Antonio Visconti in inventarium relata, sua vero - paucis exceptis - in Italiam asportavit²⁵². Demum Garampius et tres eius successores mandato pontificio omnino paruerunt, relictis Varsaviae omnibus documentis, ad ultimos annos nuntiaturae apostolicae in Polonia adhuc libera et in potestatem hostium nondum redacta spectantibus (secum autem abstulerunt tantummodo registra epistularum, interdicto papali non comprehensa)²⁵³.

Iosephum Garampi procul dubio verum et praecipuum tabularii nuntiatu-
rae Polonae ordinatorem et dispositorem existimare debemus. Qui, commo-
ditati successorum suorum consulere cupiens (ut scil. in expediendis negotiis
sibi commissis idonea auxilia praesto habere possent), totum tabularium in 7
(15 cum subdivisionibus) sectiones divisit. Prima earum fuit informativa, in
qua deposita sunt: *Vademecum* Galeatii Marescotti, *Index rerum* ipsius Ga-
rampii²⁵⁴ et varia documenta, casu potius quodam quam ordine disposita,
praecipue ad praerogativas nuntiorum et caerimoniarum rationem pertinen-
tia. Reliquae vero sectiones, epistulas et documenta eis annexa continentes,
secundum personas et officia, quibus litterae inscribebantur vel a quibus
perveniebant, divisae erant (Secretariatus Status, congregationes Romanae,
episcopi, ordines religiosi, Rutheni uniti, "Affari nell'interno del Regno",
"Affari esterni")²⁵⁵. Cum a. 1776 Varsavia Vindobonam proficisceretur, Ga-
rampius in sic disposito et ordinato nuntiatu-
rae tabulario reliquit 85 volu-
mina et aliquot fasciculos non ligatos, epistulas et acta continentes, una cum
accurato eorum inventario²⁵⁶, necnon ad 180 volumina, inventario non compre-
hensa, actorum "contentiosorum" et "gratiosorum". Successores Garampii ac-
ta sua et litterarum commercium coacervare pergebant ordine et ratione ab
illo statutis, quamquam incommoditate quadam non carentibus (cogebantur
ex. gr. signaturas duplicatas "A", "AA" etc. introducere).

Cum, Polonia iam tertium divisa, Laurentius Litta a. 1796 nuntiaturam

originale) invenitur in AV, *Nunz. Pol.* 238 f. 161r-162v.

²⁵¹ Cfr. supra, p. 44.

²⁵² Absentiam eorum iam Garampius notavit (AV, *Indice* 190 f. 8r).

²⁵³ Quae postea Tabulario Vaticano tradita sunt et in sectione *Nunziatura di Polonia* collocata, cfr. supra, p. 42.

²⁵⁴ Fusius de hoc pretioso opere scribo infra, in cap. II, p. 84-87.

²⁵⁵ Cfr. *Elenco di Protocolli ne' quali sono state riunite, disposte e legate da Mons. Garampi le carte, memorie e lettere, lasciate tanto da lui, quanto dall'Eminentissimo Visconti nella Segreteria della Nunziatura di Polonia*, AV, *Nunz. Pol.* 317 f. 231r-234v.

²⁵⁶ Cfr. supra. Inventarium hoc, die 30 IV 1776 Andreae Archetti a Garampio Varsaviae porrectum et ab utroque nuntio subscriptum, enumerat 92 titulos. Ipse tamen Garampius scribit se "85 protocolla et aliquot fascicula" successori suo reliquisse (Garampi IR, AV *Indice* 190 f. 10r). Bieńkowski autem, in nixus supradicto inventario, affert 75 volumina et aliquot fasciculos (Bieńkowski ANV, p. 127-129). Copia illius inventarii, quam Garampius pro se conficiendam curavit, invenitur in AV. *F. Garampi*, ms. 12, fasc. C (s.f.).

Varsaviensem dissolveret clauderetque, servabantur in illius archivo 160 volumina litterarum commercii nuntiorum, 5 volumina depositi Theatinorum, in quorum domo Varsaviensi nuntii residebant, 176 volumina et 140 non ligati fasciculi actorum forensium ("contentiosorum"), 35 volumina "gratiosorum", aliquot fasciculi, in quibus deposita erant acta processuum informativorum de candidatis ad episcopatum et alia²⁵⁷. Ex eiusmodi collectione Litta mense Martio a. 1797 Vindobonam misit tantum "archivum secretum" (litterarum commercium continens), 23 libros actorum "gratiosorum", annos 1587-1712 complectentes, et 4 libros "contentiosorum" Francisci Diotallevi, ad annos 1616-1621 pertinentium. Documenta haec in nuntiatura Vindobonensi deposita, usque ad a. 1859 in ea remanserunt, cum tandem in Tabularium Vaticanum transportata et inter *Archivi rientrati*, ut vulgo vocantur, sub nomine **Archivum Nuntiaturae Varsaviensis** collocata essent²⁵⁸. Ad annum usque 1986 asservabantur in eo 189 manuscripta in numeratione continua (3 codices desiderantur) et 11 manuscripta duplicata, insimul 197 "unitates archiviales", quas vocant²⁵⁹. Analyticum eius inventarium, cum accurata uniuscuiusque sectionis et manuscripti descriptione, additis exemplis maioris momenti documentorum et tabulis synchronicis, a Valeriano Meysztowicz confectum est²⁶⁰.

Cum a. 1986 ad acta Sedis Apostolicae usque ad finem pontificatus Benedicti XV inspicienda (id est usque ad integrum annum 1921) ab Ioanne Paulo II pontifice maximo viris doctis aditus permissus esset²⁶¹, Tabulario Nuntiaturae Varsaviensis adiunctae sunt 18 thecae (15495 folia), epistulas et alia documenta nuntiaturae Varsaviensis, a. 1919 restituae, continentes. Thecae istae complectuntur omnia acta primum visitationis, deinde nuntiaturae Achillis Ratti, annis 1918-1921 absolutae, et numerationem tabularii ante partitiones Poloniae existentis continuant (mss. 190-207). Breve et concisum istius partis tabularii repertorium Octavius Cavallieri conficiendum curavit²⁶².

Tristes sane et funestae fuerunt fortunae vicissitudines illius partis

²⁵⁷ Bienkowski ANV, p. 130.

²⁵⁸ Meysztowicz ANV, p. 4.

²⁵⁹ Meysztowicz (ANV, p. 5, quem sequitur H. Fokciński, *Stankwerendy*, p. 57) adducit numerum 195 unitatum archivalium. Ex suo tamen ipsius catalogo sequitur eum minus accurate computasse numerum voluminum, quae desunt (4), et quae duplicata sunt (10).

²⁶⁰ *De Archivio Nuntiaturae Varsaviensis, quod nunc in Archivio Secreto Vaticano servatur*, Vaticani 1944.

²⁶¹ Cfr. *Responsonem de mandato Sanctissimi domino Cardinali Archivistae datam, qua fit facultas inspiciendi scripta et documenta in archivis conservata usque ad pontificatum fe.rec. Benedicti papae XV inclusive*, documentum 20 VIII 1985 editum, quo mandatur, ut decisio papae in Conventu Scientiarum Historicarum a. 1986 Stutgardiae celebrando divulgetur; publicatum in AAS 78 (1986), p. 378.

²⁶² *L'Archivio di Mons. Achille Ratti, visitatore apostolico e nunzio a Varsavia (1918-1922)*. *Inventario*, Città del Vaticano 1989 (Collectanea Archivi Vaticani, T. 23).

tabularii Nuntiaturae Varsaviensis, quam Laurentius Litta, cum Varsavia discederet, sub tutela decani capituli Varsaviensis, Ioannis Baptistae Albertrandi, reliquit. Qui cum timuerit, ne collectiones eius a Pruthenis, Varsaviam tunc occupantibus, diriperentur, illas per partes auferre et in consistorio Varsaviensi deponere coeperat. Hoc modo transtulit aliquot voluminum decadas, quae usque ad a. 1944 in curia metropolitana remanserunt, sed in seditione Varsaviensi omnia, una cum aliis pretiosissimis documentis ad historiam Ecclesiae Polonae pertinentibus, igni deleta sunt. Nescimus, cuiusmodi documenta illa fuerint. Unicam de fortuna illorum mentionem reliquit archivistae curiae Varsaviensis, sacerdos Vladislaus Kwiatkowski²⁶³.

Nec clementiorem fortunam cognoverunt codices illi, quos Albertrandus ex tabulario nuntiaturae non asportavit, licet Prutheni se erga illos satis benevolos exhibuerint, a. 1800 in Principali Tabulario Provinciali Varsaviensi (hodie in AGAD, Tabulario Principali Actorum Antiquorum) illos collocando. Brevissimum indicem 187 voluminum²⁶⁴ eorundem actorum a. 1839 confecit Felix Ioannes Bentkowski (tandem a. 1912 publici iuris factum)²⁶⁵. Fuerunt omnia, nulla fere exceptione admissa, acta contentiosa et gratiosa nuntiorum, inde a Ioanne Andrea Caligari (1578-1581) usque ad Ferdinandum Mariam Saluzzo (1784-1794). Praeterea illic quoque servabantur inventaria bonorum, ad abbatias Lubinensem, Tyneciensem, Hebdoviensem et Sulejoviensem pertinentium, annos 1726-1773 comprehendentia (ms. 175), acta processuum informativorum episcoporum Varmiensium ab a. 1658 ad a. 1773 (ms.175A), necnon aliquot scripta hinc illinc collecta, ad annos 1657-1793 pertinentia (mss. 181-183). Illa quoque collectio, ab historiae studiosis fere intacta²⁶⁶, tempore insurrectionis Varsaviensis, mense Septembri a. 1944, tota combusta et deleta est. Servata sunt vix quattuor actorum volumina: unum Fabricii Serbelloni ex a. 1740, duo Alberici Archinto ex annis 1746-1749 et unum Ferdinandi Saluzzo (1784-1794)²⁶⁷.

Summatim tamen affirmare possumus, non obstante amara hac et miseranda amissione plus quam dimidiae partis totius corporis documentorum tabularii nuntiaturae Polonae, illam Archivi Nuntiaturae Varsaviensis partem, quae nunc in Tabulario Vaticano servatur, esse "unam ex copiosissimis collectionibus fontium, ad historiam Poloniae alterius partis saeculi XVIII attinentium"²⁶⁸.

²⁶³ W. Kwiatkowski, *Archiwum Nuncjatury Apostolskiej w Warszawie* [Archivum Nuntiaturae Apostolicae Varsaviense], p. 487-492.

²⁶⁴ Non 183, ut Kwiatkowski secutus affirmat Bieńkowski (ANV, p. 130), nam 4 manuscripta signaturis duplicatis praedita erant.

²⁶⁵ Cfr. Bentkowski LANP.

²⁶⁶ Cfr. Stebelski, *Akta Nuncjatury Papijskiej w Polsce 1578-1825* [Acta Nuntiaturae Pontificiae in Polonia 1578-1825], p. 311.

²⁶⁷ Servantur in AGAD, AN, mss. 113, 121, 174. Cfr. Stebelski, p. 309-312.

3) **Tabularia Congregationum Romanarum.**

Inter Sedis Apostolicae ministeria illud, cui - post Secretariatum Status - frequentissimum cum nuntiis apostolicis in Polonia intercedebat litterarum commercium, fuit Sacra Congregatio de Propaganda Fide, a. 1622 a summo pontifice Gregorio XV condita ad fidei catholicae praeconum operam missionariam, tum inter paganos, tum inter protestantes et orthodoxos, ordinandam et coordinandam²⁶⁹. Tota itaque actio missionaria divisa erat secundum regiones seu provincias. Singulae provinciae in Congregatione subiectae erant cardinalibus consulto ad id designatis, sed in loco missionis iurisdictioni nuntiorum obtemperabant. Nuntius apostolicus in Polonia munere suo fungebatur in territorio totius Reipublicae Utriusque Nationis, in Suetia et Moscovia, necnon in regionibus earum feudatariis obnoxiiis²⁷⁰; praecipuae vero curae in terris istis erat ei Ecclesia Unita et seminaria pontificia, futuros fidei catholicae praecones paratura²⁷¹. Vastissimum territorium et gravitas munerum nuntiis in Polonia a Congregatione delatorum effecerunt, ut eorum litterarum commercium in **Tabulario Historico Congregationis De Propaganda Fide** asservatum (in aedibus Congregationis situs Romae, ad Plateam Hispanicam sub n. 48), quoad magnitudinem tertium sit post illa, quae in Tabulario et Bibliotheca Vaticanis custodiuntur. Epistulae a nuntiis et ad nuntios datae, in illo depositae, unum tamen documentorum corpus non efficiunt, neve in separatis quidem voluminibus collectae sunt, sed cum litterarum commercio comixtae, quod Congregationi cum aliis personis et institutis intercedebat.

Maximus nuntiorum epistularum originalium numerus servatur in sectione, cui nomen datum est *Scritture originali riferite nelle Congregazioni Generali* (SO CG). Quod documentorum corpus, 1044 volumina, annos 1622-1892 comprehendentia, continens, constat scriptis, de quorum argumentis disputabatur in congregationibus generalibus, quas vocabant, quae a cardinalibus (interdum praesente pontifice), initio bis in mense, postea rarius, celebrabantur²⁷². In prima huius corporis serie inter 417 volumina inveniuntur multa volumina epistularum ex Polonia annis 1622-1669 datarum, non parvum numerum litterarum a nuntiis apostolicis, a Cosmo de Torres usque

²⁶⁸ Bieńkowski ANV, p. 131.

²⁶⁹ Cfr. J. Metzler, *Foundation of the Congregation "de Propaganda Fide" by Gregory XV*, in: *SCPF Memoria Rerum* V/1, p. 79-111.

²⁷⁰ Decretum dispartitionis, die 8 III 1622 promulgatum, ed. Welykyj ACPF I, p. 7. Cfr. J. Olšr, *La Congregazione ed i paesi assegnati al nunzio di Polonia (Polonia, Svezia, Russia)*, in: *SCPF Memoria Rerum* V/2, p. 201-225.

²⁷¹ Vide supra, p. 16-17.

²⁷² Originem et descriptionem collectionum in hac sectione et in aliis afferunt Nicolaus Kowalsky OMI et Iosephus Metzler OMI, *Inventory of the Historical Archives of the Sacred Congregation for the Evangelisation of Peoples or "De Propaganda Fide"*. New enlarged edition, Rome 1983. Cfr. etiam T. Zdziech, *Archiwum historyczne Kongregacji Rozkrzewiania Wiary* [Archivum historicum Congregationis de Propaganda Fide], "Informationes", 3 (1984), p. 5-50. Brevem descriptionem totius archivi dedit A. Welykyj LPP I, p. IX-XV.

ad Antonium Pignatelli, missarum, continentia²⁷³. Epistolae successorum, quae in serie secunda (inde a vol. 418) servantur, ab a. 1669 non secundum regiones (interdum secundum argumenta, quae tractabant), sed tantummodo secundum tempora, quibus discussae erant in congregationibus, colligebantur, et ideo in omnibus sequentibus voluminibus sub datis, quibus illae congregabantur, quaerendae sunt²⁷⁴. Cum aliis, quae ex universo orbe affluebant, commixtae, singulae tantum epistolae nuntiorum ex Polonia post a. 1669 datae, in singulis voluminibus eiusdem seriei reperiuntur. Maior enim illarum pars in sectione *Congressi Particolari* (CP), a. 1669 fundata, invenitur. Quae sectio nunc 163 volumina protocollorum et epistularum continet, quorum contenta in specialibus Congregationis sessionibus, minore participantium numero, disceptabantur et negotiis particularibus dedicabantur. Praeter expectationem, in hoc documentorum corpore, ad chronologiam quod attinet, magna rerum perturbatio perspici potest, ita ut ex. gr. in volumine 22, in tergo "1673" habente, epistolae nuntiorum originales reperiantur, ab a. 1635 ad a. 1674 datae. Multae quoque ipsorum epistolae in voluminibus, vocibus "Ruteni" et "Armeni" signatis, praesertim in vol. 14 et 25 inveniri possunt.

Vera documentorum moles servatur in sectione *Scritture riferite nei Congressi* (SC) nuncupata, epistulas et scripta continente, quae propter minorem earum gravitatem in congregationibus non disputabantur, sed tantummodo in unaquaque hebdomade celebratis conventibus praefecti Congregationis, eiusdem secretarii et minutantium. Quod totum documentorum corpus pluribus seriebus constat, plerumque secundum regiones et argumenta, de quibus tractatur, divisis, quae ad aliquot decadas voluminum continent. Unaquaque series propria numeratione praedita est (insimul 1346 volumina)²⁷⁵. Maximus nuntiorum Polonorum epistularum et aliquando Congregationis ad eas responsorum numerus in hac sectione servatur in primis 17 voluminibus seriei SC, *Moscovia-Polonia-Ruteni* (24 volumina et 6 volumina miscellaneorum). Quae chronologice disposita, epistulas ab a. 1658 usque ad nuntiaturae Polonae suppressionem (a Petro Vidoni ad Laurentium Litta) continent, quae fere omnes ab Athanasio Welykyj et Andrea Šeptyckyj typis impressae sunt. Minus quidem exploratae sunt, sed etiam minorem litterarum commercii, quod Congregationi cum nuntiis in Polonia intercedebat, copiam, continent series SC, *Armeni*²⁷⁶, *Moldavia*, *Moscovia*, *Besarabia*, *Crimea* et *Istruzio-*

²⁷³ Servantur in voluminibus signatis "Polonia", "Russia", "Moldavia", "Ruteni", "Armeni" et similibus; cfr. inventarium Kowalsky-Metzler, p. 37-38. Antiquior reliquis et maximi valoris est ms. 337.

²⁷⁴ Ita ex. gr. in vol. 418, quod inscribitur "Scritture riferite in S. Congregazioni Generali dal 15 Gennaio al 22 Marzo 1669", inveniuntur etiam epistolae nuntii Marescotti, mensibus Octobri et Novembri a. 1668 datae (cfr. f. 1r, 36r, 37r-73r).

²⁷⁵ Cfr. Kowalsky-Metzler, p. 48; Zdziech, p. 17.

²⁷⁶ Volumina inscripta "Armeni di Polonia" inveniuntur sparsa in aliis seriebus, inter quae speciali mentione dignum est vol. 22 seriei Congressi Particolari (epistolae originales nuntiorum ab a. 1635 usque

ni²⁷⁷.

Multa pretiosa documenta, praesertim nuntiorum de seminariis pontificiis sollicitudinem testificantia, continentur in duabus seriebus ex collectione scriptorum "in conventibus relatorum": *Collegi Vari* (CV), cuius volumina 2 et 3 continent simul documenta, ad Ruthenorum et Armeniorum collegia Leopolditana annis 1664-1859 pertinentia; in volumine autem 7 collecta sunt scripta ad collegium Braunsbergense spectantia, inter quae etiam aliquot epistulae nuntiorum a Galeatio Marescotti (1668) usque ad Laurentium Litta (1797), insertae inveniuntur; ultimum tandem eiusdem seriei volumen 66 (praeter 13 volumina miscellaneorum, in quibus quoque epistulae nuntiorum apostolicorum in Polonia inveniuntur) similiter continet scripta, ad collegia Vilnae et Craslaviae pertinentia, et complectitur annos 1669-1799, una cum ampla digressionem de nuntiorum in eadem collegia iurisdictione²⁷⁸. Vetustiores, sed in 44 voluminibus seriei *Visite e Collegi* hic illic sparsae, sunt annuae relationes nuntiorum de visitationibus in collegio Braunsbergensi et Vilmensi inde ab a. 1623 peractis²⁷⁹. Minorem numerum documentorum, a nuntiis apostolicis in Polonia prolatorum, invenimus in sectionibus *Istruzioni* (quae tres series complectitur)²⁸⁰ et *Miscellaneae* (etiam tribus seriebus constans)²⁸¹. Reapse tamen epistulae et acta nuntiorum Polonorum in omnibus eiusdem tabularii sectionibus reperiri possunt.

Minorem difficultatem quam epistulae originales afferunt registra litterarum commercii ipsius Congregationis cum nuntiis apostolicis habiti. Quae accurate, ordine chronologico ordinata, in 388 voluminibus in sectione *Litterae* vocata depositis, servantur. Epistulae ad nuntios, plerumque idiomate Italico scriptae, una cum epistulis ad alios datis, usque ad 1646 in libros seriei *Lettere Volgari*, cui numeratio communis fuit cum serie *Lettere Latine*, referebantur²⁸². Postea hic ordo mutatus est - servata tamen continua volu-

ad 1674) et duo volumina seriei SOCG (224-225), quae maiore ex parte epistulas Antonii Pignatelli et Galeatii Marescotti, annis 1661-1668 datas, continent (in ms. 225 f. 1r-4v inveniuntur etiam 2 epistulae Petri Vidoni a. 1659 et 1660 datae).

²⁷⁷ Cfr. Kowalsky-Metzler, p. 51 et Zdziech, p. 34-36.

²⁷⁸ APF, Collegi Vari 66 f. 5r-12v. Totus hic codex maximam partem est collectio litterarum commercii nuntiorum Polonorum, inde a Galeatio Marescotti ad Laurentium Litta.

²⁷⁹ Incipiunt in primo volumine relatione de visitatione, in collegio Braunsbergensi 16 VIII a. 1623 mandato nuntii Ioannis Lancellotti peracta (vide f. 42r-55v). Praeter volumina 1 et 41, a T. Zdziech (p. 38) descripta, nominandae sunt vetustissimae relationes de visitationibus Braunsbergae et Vilnae ab Antonio Santacroce (11 II 1628) in vol. 6 f. 170r-179v et Honorato Visconti (8 V 1631) in vol. 8 f. 435r-444r, factis.

²⁸⁰ Pluras instructiones pro nuntiis, tempore, quo Congregatio maxime in officium sui iuris evolvebatur (1622-1648), reperiuntur in duobus primis voluminibus seriei *Istruzioni diverse*. In aliis seriebus, quae posteriora tempora comprehendunt, nominandus est vol. 3 seriei *Istruzioni*, in quo amplissimae instructiones pro nuntiis ex annis 1760-1783 inveniuntur (f. 118r-544v).

²⁸¹ *Miscellaneae diverse* (33 volumina, quorum 17 continent etiam documenta ex a. 1596), *Miscellaneae varie* (44 vol.) et *Miscellaneae generali* (33 vol.). Polonica partim a T. Zdziech nominantur, p. 49-50.

²⁸² Vol. 1 et 9 continent *Lettere latine*, vol. 2-8 et 10-32 *Lettere volgari*.

minum numeratione - in ordinem geographicum²⁸³, sed ab a. 1669 denique recepta est regula dividendi volumina, chronologico ordine et continua numeratione disposita, in epistulas a Congregatione et epistulas a secretariis eius datas²⁸⁴.

Multae epistulae nuntiorum apostolicorum in Polonia, quae ad fere omnes, quas supra nominavimus, sectiones tabularii Congregationis de Propaganda Fide necessario pertinere deberent, in singulari eiusdem tabularii collectione, *Fondo di Vienna* nominata, inveniri possunt. Quae collectio constat ex 74 voluminibus documentorum Congregationis, quae - post omnium tabulariorum pontificiorum a. 1810 Lutetiam Parisiorum asportationem - Sedi Apostolicae restituta non erant. Postea vero Vindobonam translata sunt et a. demum 1929, iam terminata tabularii Congregationis ordinatione et chronologica dispositione, legitimo possessori reddita; propterea hodie seiunctum corpus documentorum efficiunt, in quo servatur copiosissimum litterarum commercium nuntiorum Polonorum, annos 1658-1666 comprehendens (mss. 17-19), quod per se reperiri deberet in sectione, documenta in congregationibus generalibus relata continente (SOCG)²⁸⁵; minoris autem momenti acta, ad annos 1675-1797 spectantia, in voluminibus 31, 32 et 38 posita, in collectionem *Scritture riferite nei Congressi* inserenda essent²⁸⁶.

Tabularium historicum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Polonis historiae studiosis iam ab a. 1886 cognitum est²⁸⁷; a. 1927 sat amplam eius descriptionem publicavit etiam Eugenius Šmurlo²⁸⁸; sed maxime accurate recens exploratum atque pervestigatum est a viris doctis Ucrainis, Ordinis S. Basilii sodalibus, qui etiam ad suas fontium editiones apparandas abunde ex eo hauserunt²⁸⁹. Planam perspicuamque singularum eius sectionum descriptionem Theresa Zdziech composuit, quae etiam indicavit satis cohaerentes collectiones rerum Polonicarum in eo servatarum²⁹⁰; multo autem amplificatum inventarium eiusdem tabularii, vetere Nicolai Kowalsky repertorio nixus, publicavit Iosephus Metzler²⁹¹. In aula etiam consultatoria, ut aiunt, eiusdem tabularii reperiri possunt inventaria particularia, quae aditum ad epistulas et documenta nuntiorum Polonorum, ad annos 1622-1795

²⁸³ Polonica sunt volumina 32, 34, 42, 50 et 52.

²⁸⁴ Zdziech, p. 46. Exinde series haec simpliciter "Litterae" vocatur.

²⁸⁵ Re vera litterae hae desiderantur in SOCG. Duo primi codices continent epistulas Petri Vidoni et Antonii Pignatelli ad Ruthenos spectantes; vol. 19 vero plures epistulas Pignatelli missiones ad Tartaros a. 1661-1666 illustrantes.

²⁸⁶ Zdziech, p. 47-48.

²⁸⁷ Primam de eo mentionem dedit Bronislaus Dembiński, *Sprawozdanie*, p. 94 (cfr. infra, cap. II, p. 115).

²⁸⁸ Cfr. Šmurlo RI, IV.

²⁸⁹ Cfr. infra, cap. II, p. 164-165.

²⁹⁰ Cfr. supra, notam 272.

²⁹¹ Cfr. supra, notam 272.

spectantia, viris doctis faciliorem reddunt²⁹².

Minus copiosae et multiplices, ad ordinationem et dispositionem earum quod attinet, sunt collectiones actorum nuntiaturae Polonae, quae in Archivo Congregationis Consistorialis, coacervandis actis processuum informativorum candidatorum ad episcopatum a. 1625 iussu Urbani VIII instituto, custodiuntur²⁹³. Cum Tabulario S. Collegii Cardinalium coniunctum, efficit hodie illam Archivi Vaticani partem, quae **Archivum Consistoriale** (AC) vocatur²⁹⁴. Praeter satis exiguum nuntiorum cum cardinalibus et secretariis Congregationis Consistorialis litterarum commercium²⁹⁵, servantur in eo documenta fere omnia, ad processus informativos candidatorum ad episcopatus Polonos, qui inde ab anno 1588 a nuntiis apostolicis celebrabantur, pertinentia²⁹⁶. Cum aliis actis similibus, ad alias regiones et nuntiaturas pertinentibus, commixta et non semper ordine chronologico disposita, acta haec efficiunt partem Archivi Consistorialis, cui nomen *Processuum Consistorialium* datum est, et quae ex 299 unitatibus archivalibus, quas vocant, annos 1563-1906 (200 mss. usque ad annum 1796) comprehendentibus, constat²⁹⁷.

Inventionem actorum, quae in illo servantur, faciliorem reddit accuratum inventarium, in Tabularii Vaticani aula consultatoria commoditati virorum doctorum collocatum, secundum dioeceses (residentiales et titulares) et annos confectum²⁹⁸, in quo acta 400 et supra processuum Polonorum nominantur, qui maximam partem a nuntiis celebrati erant. Acta 6 veterrimorum processuum (4 a nuntiis confecta), ad annos 1588-1592 pertinentia, in volumine 10 inveniuntur. Sed non sunt omnia. Acta enim singulorum processuum in aliis quoque Archivi Vaticani collectionibus reperiri possunt²⁹⁹. Ad hereditatem autem a nuntiis relictam non pertinent pauca acta processuum Polonorum Romae celebratorum, quae in sectione Archivi Vaticani *Processus Datariae* servantur³⁰⁰, quamquam nonnulla eorum apparatus erant "ad comprobandum

²⁹² Cfr. J. Metzler, *Indici dell'Archivio Storico della Sacra Congregazione "de Propaganda Fide"*, "Euntes Docete", 21 (1968), p. 109-130.

²⁹³ R. Ritzler, *Die bishöflichen Informativprozesse in den "Processus Consistoriales" im Archiv des Kardinalkollegs bis 1907*, "Römische Historische Mitteilungen", 2 (1957/58), p. 205.

²⁹⁴ Cfr. Pásztor ASV, p. 127.

²⁹⁵ Magna eius pars servatur in aliis sectionibus Archivi Vaticani, ex. gr. in *Miscellanea Armadia* I, vol. 84-85 et *Nunz. di Polonia* 394.

²⁹⁶ Cfr. supra, p. 28-30.

²⁹⁷ Cfr. Ritzler, ut supra; collectio est fere continua nonnisi ab a. 1588.

²⁹⁸ AV, *Indice* 1045.

²⁹⁹ Ex. gr. acta processus Eustachii Wołowicz, ad episcopatum Vilensem nominati, a Francisco Diotallevi a. 1616 celebrati, servantur in AV, *Misc. Arm.* I vol. 85, f. 42r-69v; processus Alexandri Horain, nominati a. 1710 ad episcopatum Smolenscensem (acta a Nicolao Spinola confecta), in AV, *Nunz. di Polonia* 394, s.f. Acta processus A. Grabowski ad suffraganeatum Posnaniensem, a P. Vidoni a. 1656 celebrati, inveniuntur inter scripta protectoris Poloniae, card. Virginii Orsini (Roma, ACO, *Arch. Orsini*, 402, n. 348, 349).

³⁰⁰ Inventarium secundum dioeceses in AV, *Indice* 1046, cfr. Pásztor ASV, p. 64-65.

processum per Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Nuntium... confectum"³⁰¹.

Dissipatum et non nimis copiosum est litterarum commercium nuntiorum apostolicorum in Polonia, quod servatur in **tabulario antiquae Congregationis Concilii**, a. 1564 a Pio IV ea mente constitutae, ut vigilaret, quo decreta Concilii Tridentini ad effectum adducerentur. Difficillimum tamen est principali eiusdem tabularii sectione uti, et quidem illa, quam explorare nostra maxime interest, quae *Positiones* vocatur, et quae nunc in Tabulario Vaticano custoditur (5638 volumina annos 1564-1911 comprehendentia), nam usque ad a. 1677 (ad ms. 2671) documenta in ea deposita et asservata secundum singula Concilii Tridentini decreta ordinabantur et disponebantur, post illum vero annum secundum tempus, quo inspiciebantur et examinabantur³⁰². Accuratissimum repertorium, a Dominico Troiani confectum³⁰³, complectitur tantummodo 48 prima volumina huius amplissimae sectionis; reliqua autem ne brevibus quidem indicibus praedita sunt, ita ut si quis ea explorare voluerit, aliud post aliud perlustrare cogatur³⁰⁴. Iam prima documenta nuntiorum Polonorum, scil. Claudii Rangoni "Dubia, in quibus R.D. Premisliensis ab R.mo D. Nuntio Apostolico petit resolutionem", una cum responso Congregationis 8 I 1603 a. dato³⁰⁵, necnon epistolae Francisci Diotallevi et Cosmi de Torres, cum documentis annexis, annos 1617/18 et 1622 comprehendentibus³⁰⁶, demonstrant documenta in tabulario illo servata, licet pauca, maximi tamen momenti esse. Accessus ad illa, quae in inventario Dominici Troiani non nominantur, facilius quodammodo efficitur propterea, quod registra responsorum Congregationis in alia serie eiusdem ministerii pontificii inveniuntur, quae scil. *Libri Litterarum* appellatur, et quae constat 38 voluminibus registrarum, ad annos 1564-1902 spectantium, et nunc in aedibus Congregationis pro Clericis (Romae, ad Plateam Pii XII sub n. 3 sitis) asservatur. Haec autem facile reperire potes, si conciso inventario, secundum annos ab A. Parisella elaborato et publici iuris facto, utaris³⁰⁷.

Alia magni momenti pro vita Ecclesiae Catholicae post Concilium Tridentinum reformanda fuit **Congregatio Episcoporum et Regularium**, a. 1593 (definitive 1601) ex duabus antecedentibus congregationibus eam componen-

³⁰¹ Processus Venceslai Paprocki ad suffraganeatum Vladislaviensem, 18 III 1639, AV, *Processus Datariae* 18 f. 53r-55r.

³⁰² Cfr. Pásztor ASV, p. 149-150.

³⁰³ *S. Congregatio Concilii. Fondo Storico. Positiones*, T. 1-11 (AV, *Indici* 910-920).

³⁰⁴ Magnae gratiae debentur sac. Christophoro Nitkiewicz, huius seriei studioso, qui et voluminibus a se examinatis (49-244) paucas sed pretiosas litteras nuntiorum adnotavit.

³⁰⁵ AV, *Congr. Concilii, Positiones* 8 f. 438r-441v.

³⁰⁶ *Ibidem*, vol. 10 f. 471r-529v.

³⁰⁷ A. Parisella, "Liber Litterarum" *Sacrae Congregationis Concilii*, in: *La Sacra Congregazione del Concilio. Quarto Centenario della Fondazione (1564-1964). Studi e ricerche*, Città del Vaticano 1964, p. 447-476. Descriptionem totius archivi huius Congregationis dedit F. Chiappafreddo, *L'Archivio della S. Congregazione del Concilio*, *ibidem*, p. 395-422.

tibus constituta³⁰⁸. Totum archivum historicum huius congregationis nunc in Archivo Vaticano servatur. Litterae nuntiorum reperiri possunt praesertim in serie *Positiones*, constante circiter 6 milibus thecarum, documentis ad annos 1573-1908 refertarum, ad a. 1625 secundum annos ordinatis; post illum vero annum regula chronologica observatur in seriebus internis: *Vescovi, Regolari, Monache et Archivio Segreto* (ultima incipit a. 1721)³⁰⁹. Etiam in hoc tabulario paucae, sed magni momenti epistulae nuntiorum inveniri possunt, ut ex registris nuntiorum, quae conservata sunt, patet³¹⁰, sed, proh dolor, explorationes rerum Polonicarum in hoc archivo nondum sunt inchoatae.

Feliciter cessit **Archivo Congregationis Rituum**, a. 1588 eo institutae, ut super ritibus et caerimoniis Ecclesiae ac sanctorum canonisationibus vigilet³¹¹. Tabularium huius congregationis, quod in Archivo Secreto Vaticano depositum servatur, non multas quidem habet epistulas et documenta nuntiorum, quae maxime in serie Sectionis Liturgicae, *Positiones* nuncupata (2000 capsulae, documenta a. 1588-1969 comprehendentes), conservantur, sed usque ad a. 1632 omnes annotatae et partim editae sunt a Victore Gramatowski SJ, qui eas etiam documentis ex registro responsionum Congregationis eiusdem temporis spatio expeditarum (conservatur in sede Congregationis pro Cultu Divino, Romae ad Plateam Pii XII sub n. 10) locupletavit³¹². Litterae tamen nuntiorum post a. 1632 datae, iterum magno labore in hoc tabulario sunt quaerendae.

Nonnulla documenta et epistulae nuntiaturae Polonae inveniri etiam possunt in archivo antiquissimi tribunalis **S. Romanae Rotae**, in qua maxime audiebantur causae per appellationem ad eam devolutae³¹³. In sectione *Processus Actorum* (1063 vol., ad a. 1500-1800) exstant aliquot protocolla causarum, primum coram tribunali nuntiaturae agitatarum et deinde ad Rotam devolutarum, sigillis nuntiorum munita. Excerpta ex illis, quae non sunt conservata (praesertim sententiae), reperiri possunt in sectione *Positiones* nuncupata (3819 vol. ad a. 1627-1870). Litterae autem nuntiorum aliaque scripta, praesertim ad diversas commissiones ipsis a Rota demandatas

³⁰⁸ Cfr. Del Re, p. 330-332.

³⁰⁹ Inventarium chronologicum singulorum voluminum (AV, *Indice* 1104 VIII) suppletur analyticis indicibus rerum, de quibus tractant, in alia serie eiusdem archivi asservatis, quae *Collectanea* appellatur (31 volumina). De toto archivo huius congregationis, nondum accurate ordinato, cfr. Pásztor ASV, p. 156-162. Quanti momenti sint documenta in tabulario isto asservata ad demonstrandam ministeriorum Curiae Romanae dispartitionem (ita ut pars epistularum commercii nuntiorum Neapoli recta ad Congregationem transmitterentur), scribit P. Caiazza, *Nunziatura di Napoli e problemi religiosi nel Viceregno Post-Triestino*, RSCI 42 (1988), p. 34; ibidem in pp. 49-69 singula documenta publicantur.

³¹⁰ Vide ex.gr. registra epistularum ad diversas Congregationes, quas Andreas Sanctacroce a. 1690-1696 (AV, *Arch. Santacroce* 38) et Camillus Paulucci a. 1728-1737 (collectio quaedam privata) dederunt.

³¹¹ Cfr. Del Re, p. 435.

³¹² W. Gramatowski, *Polonika liturgiczne w Kongregacji Obrzędów*; cfr. Pásztor ASV, p. 170.

³¹³ Cfr. Del Re, p. 243-259; Pásztor ASV, p. 179-185.

spectantia, in 185 capsulis sectionis *Iura diversa* (1512-1802) quaerenda sunt³¹⁴.

Casu quodam fortuito in Bibliothecam Vaticanam pervenerunt 3 volumina documentorum ex tabulario, aditu quidem difficillimo, **Congregationis S. Officii**, ad annos 1626-1628 spectantium, in quibus i.a. etiam aliquot epistulae Ioannis Baptistae Lancellotti et Antonii Santacroce inveniuntur³¹⁵. Singula tantum documenta ad nuntiaturam Polonam spectantia inveniri possunt in reliquis Romanae Curiae dicasteriis, actu existentibus seu iam suppressis, quae ideo hic non sunt examinanda.

Facile autem adiri possunt brevia, litteras credentiales et commendaticias pro nuntiis continentia, necnon brevia et bullae cum illorum praerogativis et facultatibus. Documenta haec servantur sub dato in collectione Vaticana, *Registri Vaticani* inscripta (facultates nuntiorum saeculo XVI in forma bullarum edebantur), et in registris epistularum missarum Secretariatus Brevium ad Principes (litterae credentiales in seriebus *Epistulae ad Principes* et *Armaria 44-45*)³¹⁶ et Secretariatus Brevium generalis (facultates in serie **Secretariatus Brevium**). Invenire in hac serie documenta pontificia satis pretiosa, ad nuntiaturam Polonam pertinentia, est admodum facile propter accuratissimum, 150 voluminibus constantem *Indicem Brevium* (in aula consultatoria AV), quo singula brevia enumerantur: ad annum usque 1721 ordine chronologico, postea vero secundum voces intra singulos pontificatus; inter quos etiam vox "De Nuntiaturis Apostolicis" occurrit³¹⁷.

Notandum est non pauca documenta, ad nuntiaturam Polonam spectantia, etiam in aliis Tabularii Vaticani partibus sparsa esse, praesertim in Archivo Arcis³¹⁸ et in Miscellaneis Armariis³¹⁹.

4) **Tabularia gentilicia secretariorum status.**

Non est obliviscendum partem non exiguam diplomatici litterarum commercii nuntiaturae Polonae privata tabularia locupletasse eorum, qui vel epistulas acceperunt vel eas miserunt: cardinalium nepotum et secretariorum status ex una parte, et nuntiorum ex altera. Re enim vera bibliothecae nonnullorum cardinalium nepotum - praesertim si ex familia feliciter regnantis

³¹⁴ Omnes has informationes debeo dr Christinae Bukowska, quae explorando huic tabulario a pluribus annis operam navat.

³¹⁵ BV, *Barb.Lat.* 6334-6336. In ultimo horum voluminum inveniuntur 6 epistulae Antonii Santacroce.

³¹⁶ Quas adducunt, cum de singulis nuntiis loquuntur, Biaudet NAP et Kartunnen NAP.

³¹⁷ Brevia pro nuntiis, in hac sectione servata, recensentur in Hierarchia Catholica (a volumine quarto). Descriptionem totius sectionis cfr. Pásztor ASV, p. 115-117.

³¹⁸ Vide i. a. originales epistulas Nicolai Fabri, a. 1525/26 datas, in AV, AA I-XVIII, vol. 6522.

³¹⁹ Praesertim in *Misc. Arm.* II (antea *Politicorum Varia*).

pontificis nati essent - eiusmodi documentis abundant. Collectiones istarum bibliothecarum saepe non circumscribuntur ad temporis spatium, quo possessores earum munere suo functi sunt, sed rebus etiam ad posteriora tempora spectantibus bene instructae sunt, quae vel per emptionem vel hereditatem acquirebantur.

Feliciter evenit, quod vetustissima eiusmodi collectio ("buona quantità di carte") ex hereditate post cardinalem Alexandrum Peretti, nepotem Sixti V (1585-1590), relicta, ab Alexandro VII (1655-1667) coempta et Tabulario Vaticano tradita est³²⁰. Multo maiores, quamquam fideliter officio eorum respondentes, sunt posteriores collectiones cardinalium Petri et Cynthii Aldobrandini, secretariorum nepotum Clementis VIII (1592-1605). Servabantur in eis - tum ex familiae ipsorum tabulario, tum ex secretariatu pontificio deprompta - documenta, ad legationes cardinalium Hippolyti Aldobrandini annis 1588-1589 et Henrici Caetani annis 1596-1597 in Polonia peractas pertinentia, litterarum commercium cum nuntiis, qui sub pontificatu papae Aldobrandini munere fungebantur, id est acta fere omnia Germanici Malaspina (1592-1598), una cum registris ab ipso confectis et epistulis originalibus ad ipsum datis, necnon secretariatus status litterarum commercium cum Claudio Rangoni (1598-1606).

A. 1631 illae copiosae collectiones ab ultima ex stirpe Aldobrandinorum, Olympia, Pauli Burghesii uxore, dotis nomine ad familiam Burghesiorum apportatae sunt. Hoc modo cum aliis magnis documentorum collectionibus coniunctae et in unum redactae sunt, cum illis scil., quae a secretario status sequentis pontificis, Pauli V Burghesii (1605-1621), et eius ex sorore nepote, Scipione Caffarelli Borghese, relictas erant. Cui quoque opportunum visum est in familiae suae tabularium transferre non solum registra sui proprii litterarum commercii cum nuntiis Francisco Simonetta (1606-1612), Laelio Ruini (1612-1614) et Francisco Diotallevi (1614-1621), sed etiam partem non contemnendam eorum epistularum originalium.

Manifestum est documenta ad Poloniam spectantia, quamquam permulta, tantae hoc modo constitutae duarum familiarum collectionis particulam tantum effecisse. Quae, a. 1892 ex integro a Leone XIII papa coempta et Archivio Vaticano tradita, possidet hodie 2 milia et supra codicum manuseriptorum, qui in quattuor seriebus sectionis **Fondo Borghese** et 120 thecis sectionis **Carte Borghese** coacervati sunt³²¹. Supramemoratum nuntiorum Polo-

³²⁰ Moroni I, p. 286.

³²¹ Sectio tertia in AV - *Archivio Borghese* - continet tantum chartas ad familiam Borghese eiusque rem familiarem spectantes; cfr. Pásztor ASV, p. 213-214.

norum litterarum commercium, quod in vetere Aldobrandiniorum tabulario servabatur, hodie imprimis in seriebus I, II et IV sectionis *Fondo Borghese* et in theca 59 sectionis *Carte Borghese* sparsim collocatum est; res ad nuntiaturas Pauli V spectantes praesertim in secunda serie *Fondo* collectae sunt, in qua tamen tantummodo manuscripta 217-237 collectionem cohaerentem et continuam originalium epistularum nuntiorum apostolicorum in Polonia efficiunt. Alia volumina, quae solum vel maxima ex parte documenta nuntiaturae Polonae continent, invenire poteris, si utaris brevibus inventariis, iam tunc confectis, priusquam tabularium a Sede Apostolica acquisitum esset³²². Singula documenta nuntiorum reperiri etiam possunt in litterarum commerciis, cum aliis personis, praesertim Polonis, habitis³²³. In prima serie *Fondo* servantur multa exemplaria instructionum et litterarum nuntiorum, quae ad tempora ante annum 1592 pertinent³²⁴.

Parva pars non ligati litterarum commercii Aldobrandiniorum, i.a. epistulae Germanici Malaspina et Claudii Rangoni ad cardinalem Cynthium Aldobrandini, ab Olympia Aldobrandini Borghese in tabularium familiae Pamphili apportata est, cum illa, vidua facta, a. 1647 Camillo Pamfili, Innocentii X (1644-1655) ex fratre nepoti, nupsisset. Documenta haec nunc servantur in parvo *Fondo Aldobrandini* (litterae nuntiorum in voluminibus 1, 3-5) privati **Tabularii Doria Landi Pamfili**, quod Romae ad Plateam "della Gatta" sub numero 5 situm est³²⁵.

In hereditate post familiam Burghesiorum relicta omnino desiderantur epistulae originales nuntii Francisci Simonetta eiusque secretarii - internuntii Caesaris Baroffi - ad cardinalem Scipionem Borghese annis 1609-1613 datae. Septem volumina eis referta inter manuscripta, ex Secretariatu Status intercepta a cardinali Ludovico Ludovisi, sequentis papae Gregorii XV Ludovisi (1621-1623) nepote, inveniuntur. Per plus quam dimidium saeculum in tabulario gentilicio Ludovisiorum asservata, a. 1681 - matrimonio ultimae ex Ludovisiorum stirpe, Hippolytae, cum principe Sorae, Gregorio - in familiam Buoncompagni transierunt. Quae annis 1947-1953 Bibliothecae Vaticanae illa donavit, ubi hodie partem sectionis **Fondo Buoncompagni-Ludovisi** appellatae, ex 82 voluminibus epistularum littera "E" (Epistolae) signatis, constantem, efficiunt³²⁶. Ex eo, quod in tabulario Ludovisiorum reperiri pote-

³²² AV, *Indici* 192 et 193 (*Fondo*, serie I-IV), *Indice* 1052 (*Carte*).

³²³ Ex. gr. epistulae originales cardinalis Andreae Batory ad Germanicum Malaspina, 3 X 1599, et Claudii Rangoni ad card. Cynthium Aldobrandini, 13 X 1601 datae, servantur in *F. Borghese* III 70 B-F, f. 36r et 104r.

³²⁴ Ex. gr. in ms. I 56 f. 34r-41v exstat instructio pro Camillo Mentovato, a. 1558 ei data; in ms. I 141-144 f. 6r-11r habetur relatio Berardi Bongiovani, a. 1560 facta; in mss. vero I 163-169 et I 825-827 documenta ad nuntiaturam Aloisii Lippomano ex annis 1555-1557 pertinentia.

³²⁵ Exstat breve inventarium totius collectionis, a Renato Vignodelli Rubrichi confectum, *Il "Fondo Aldobrandini" dell'Archivio Doria Landi Pamfili*, ASRSP 92 (1969), 15-38.

³²⁶ Epistulae Francisci Simonetta inveniuntur in codicibus E.34-40. Cfr. Walter Reinhard, *Akten aus*

runt epistolae ad priorem pontificatum pertinentes, omnino autem defuit litterarum commercium cum nuntiis, tempore brevis pontificatus papae Ludovisi (1621-1623) habiti³²⁷, clare sequitur, ut hoc quoque casu a novis secretariis status observata sit consuetudo intercipiendi acta et quidem eo, ut melius cognoscerent causas et negotia, quae eis ab illis expedienda committerentur³²⁸. Re enim vera omnes epistolae nuntii Cosmi de Torres et auditoris eiusdem, Antonii Cirioli, ad Secretariatum Status missae, necnon "Registrum litterarum cardinalis Ludovisi, nepotis Gregorii XV, ad nuntios et cardinales Poloniae atque eorum secretarios inde a 21 VIII 1621 usque ad 1 VII 1625 a. datarum" (ergo integrum pontificatum pontificis ex stirpe Ludovisorum complectentium) in ingentibus collectionibus familiae eius successoris, Urbani VIII (1623-1644) eiusdemque secretarii status, cardinalis Francisci Barberini, asservantur³²⁹.

Quae tanta documentorum collectio, omnium saeculi XVII nobis cognitarum collectionum privatarum longe copiosissima, a cardinali Maffeo Barberini, adhuc prius quam ad pontificatus fastigium eveheretur, inchoata erat. Cuius tamen verus conditor fuit iam supra nominatus cardinalis Franciscus (1597-1679), qui non solum diligenter cumulabat familiae suae litterarum commercium et ex bibliothecis privatis et monasterialibus avide acquirebat vetera litterarum monumenta, typis impressa et manuscripta, sed etiam - summi pontificis permissu - ex arce Vaticana tot manuscripta, quot ei libuit, asportare solebat³³⁰. Bibliotheca, hoc modo condita, nonnisi minima ex parte ab eius successoribus aucta et locupletata est³³¹. Anno 1902, cum Leo XIII exiguo pretio eam redemisset et Bibliothecae Vaticanae inseruisset, ad 40 milia textuum typis impressorum et plus quam decem milia codicum manuscriptorum continebat³³². Pretiosa manuscripta Latina (**BV, Barberini Latini**), quae investigare nostra maxime interest, similiter ac reliquae collectiones, a duobus ultimis bibliothecariis Barberiniorum, Sancte et Alexandro Pieralisi, accurate ordinata et in indices relata sunt. Breves catalogi ab ipsis confecti, ad nostros usque dies sunt praecipuus fons informationis de iis, quae in singulis codicibus *Barberinianis Latinis* continentur, qui codices in Bibliotheca quoque Vaticana suam primigeniam dispositionem servaverunt, mutata nonnisi numeratione partim Romana, partim Arabica, in continuam signa-

dem Staatssekretariat Pauls V. im Fondo Buoncompagni-Ludovisi der Vatikanischen Bibliothek, RQ 62(1967), p. 94-104.

³²⁷ In collectione ista servantur nonnisi minoris momenti epistolae aliarum personarum ad cardinalem Ludovisi, annis 1621-1623 datae (mss. E. 70-82).

³²⁸ Cfr. Kraus GPS, p. 7.

³²⁹ Cfr. BV, *Barb.Lat.* 6580-6582 (litterarum commercium) et 6621 (registrum).

³³⁰ Bignami, p. 109.

³³¹ Cfr. Giuseppe Gabrielli, *La Biblioteca Barberiniana*, in: *Enciclopedia Italiana*, T. 6, Roma 1930, p. 140.

³³² Bignami, p. 109.

turam Arabicam (ex. gr. antiquum ms. LXIX, 67 est hodie 6160)³³³.

Nihilo tamen minus dispositio totius collectionis non est uniformis. Manuscripta enim postea acquisita (ex. gr. documenta ad nuntiaturam Aloisii Lippomano pertinentia in collectionibus Caraffarum³³⁴, copiarium epistularum Ioannis Francisci Commendonae ex annis 1563-1565 et summaria eius litterarum ex eodem tempore in cancellaria Secretariatus Status confecta³³⁵, necnon epistulae aliorum nuntiorum apostolicorum in Polonia inter documenta pontificatum Gregorii XIII³³⁶, Clementis VIII³³⁷, Pauli V³³⁸ et Gregorii XV³³⁹) commixta exstant cum litterarum commercio Barberiniorum: cardinalium Maffei, Caroli et imprimis ipsius Francisci, et aliquot corpora mancriptorum efficiunt, quae aliqua originis et qualitatis uniformitate praedita esse videntur. Maximum eiusmodi corpus sunt *Carteggi diplomatici*, id est litterarum commercia secundum regiones ordinata. Inter manuscripta, quae in sectione "Polonia" servantur (mss. 6559-6675) - praeter epistulas originales regum Poloniae eorumque secretariorum et factorum Italorum, necnon Regni procerum ad summos pontifices et ad familiam Barberiniorum datas - inveniuntur 8 volumina epistularum originalium nuntiorum, annis 1611-1623 ad cardinales secretarios status, Scipionem Borghese et Ludovicum Ludovisi (mss. 6575-6582), datas, quae forsitan a Francisco Barberini ex Vaticano asportatae erant; 20 volumina similium epistularum et novitatum ("avvisi), ex Polonia ad ipsum annis 1623-1644 (mss. 6583-6600) et paulo post, ad ipsum ipsiusque nepotem, cardinalem Carolum Barberini, annis 1681-1704 Regni Poloniae protectorem, missarum (mss. 6660-6664)³⁴⁰.

Praeter istam ingentem seriem, in collectionibus mancriptorum Barberiniorum, quae directe a Francisco Barberini proveniunt, servantur registra responsorum eiusdem, inter quae occurrunt etiam integra volumina epistula-

³³³ Inventaria haec inveniuntur hodie in aula consultatoria Bibliothecae Vaticanae: ordinaria sub numeris 335-374, analytica autem (ordine alphabetico disposita) sub numeris 110-168.

³³⁴ Mss. 5697-5740; cfr. imprimis in ms. 5715 pretiosas epistulas originales Aloisii Lippomano, ex nuntiatura Polona missas. Documenta ad nuntium Lippomano pertinentia servantur etiam in mss. 5805 et 5806.

³³⁵ *Barb. Lat.* 853 et 5798.

³³⁶ Mss. 5741-5745 ad annos 1572-1585.

³³⁷ Registra epistularum ad nuntios datarum in mss. 5746-5748 et collectiones originales illorum litterarum commercii in mss. 5783-5786 et 5822-5866. Omnia ad annos 1592-1605 referuntur.

³³⁸ Registra litterarum commercii cardinalis Scipionis Borghese in mss. 5912-5938 et 5945-5946 (codex 5932 continet registra epistularum ad Franciscum Simonetta ex a. 1611, codex autem 5945 eiusmodi registra ex a. 1605) et originalia responsa nuntiorum, annis 1605-1621 data (ex Polonia in mss. 6575-6579, cfr. infra).

³³⁹ Registra commercii litterarum cardinalis Ludovici Ludovisi in mss. 5939, 5941-5944 et 5958-5963 et responsa originalia nuntiorum ex annis 1621-1623, secundum regiones disposita (Polonica in mss. 6580-6582).

³⁴⁰ Mss. 6649-6654 sunt registra responsorum cardinalis Caroli Barberini ad epistulas Polonorum et nuntiorum in Polonia, annis 1681-1704 datas.

rum nuntiorum apostolicorum (etiam Polonorum) ex annis, quibus Barberini secretarii status munere fungebatur (manuscripta 6007-6008, 6226-6227, 6234-6236). Originales autem nuntiorum epistulas, quas ex cancellaria non asportavit (neque obliviscendum est ab illo inceptam esse fere non interruptam seriem litterarum commercii nuntiorum, quod in sectione *Nuntiatura di Polonia servatur*)³⁴¹, cardinalis Franciscus Barberini, ad usum bibliothecae suae, transcribi iussit. Propterea in manuscriptis 6158-6162 inveniuntur duplicatae epistulae nuntiorum Antonii Santacroce, Honorati Visconti et Marii Filonardi, annis 1628-1643 scriptae, quae eo pretiosiores sunt, quod duo ex originalibus codicibus, ex quibus transcriptae erant, iam omnino perierunt³⁴².

Summatim affirmari potest, collectiones Francisci Barberini, singulas etiam epistulas nuntiorum Polonorum continentes, inter alia ipsius scripta sparsas³⁴³, esse unum ex maximi momenti fontibus, ad nuntiaturam Polonam primae partis saeculi XVII pertinentibus.

Subsequentium pontificum nepotibus non contigit, ut in familiarum suarum bibliothecis tot epistulas nuntiorum, cum quibus eis, munere secretariorum status fungentibus, litterarum commercium intercedebat, accumularent. Itaque cardinalis Camillus Pamfili, nepos Innocentii X (1644-1655), id tempestive facere non potuit, cum a. 1647 sacrae purpurae et officio renuntiaverit eo, ut Olympiam Aldobrandini Borghese uxorem duceret. Eius in Secretariatu Status successores, qui magna ex parte stirpe pontificum orti non erant, officiale litterarum commercium, cum nuntiis apostolicis habitum, plerumque in Curiae Romanae tabulario relinquebant, ex quo praesertim tempore Alexander VII Chigi pontifex maximus (1655-1667), annis 1651-1655 secretarius status Innocentii X, serio constituisset decretum Urbani VIII, a. 1628 editum, de epistulis nuntiorum in Archivo Vaticano coacervandis, severae executioni mandare³⁴⁴. Quam ob rem ex illo tempore in tabulariis et bibliothecis privatis summorum pontificum nepotum et secretariorum status plura documenta collecta sunt per emptionem acquisita, quam ex Secretariatu Status clam asportata (et propterea tam varia et multiformia sunt, quamquam interdum valde pretiosa).

Nihilominus in huiusmodi collectionibus multa adhuc magni momenti litterarum monumenta, ad nuntiaturas pertinentia, nonnumquam ostendi possunt. Itaque copiosissima **collectio Chisiorum**, a Fabio Chigi (postea Alexandro VII) inchoata, antequam ad summi pontificatus culmen eligeretur,

³⁴¹ Cfr. supra, p. 42.

³⁴² Scil. codex litterarum commercii Antonii Santacroce ex a. 1628, cuius exemplar in *Barb.Lat.* 6158 servatur, et codex epistularum Marii Filonardi, ex "cifra" explicatarum, datarum annis 1635-1639 (exemplar in *Barb.Lat.* 6161). Reliqui tres codices originales servantur in AV, *Nunz.Pol.* 42A, 47 et 49.

³⁴³ Ex. gr. in ms. 2168 f. 47r invenitur originalis epistula Ioannis Lancellotti, a. 1624 scripta.

³⁴⁴ Moroni I, p. 285.

praeter ipsius epistularum commercium cum nuntiis apostolicis (i.a. cum Ioanne de Torres)³⁴⁵ illo tempore habitum, quo secretarii status munere nondum fungebatur, continet etiam unicam in genere suo collectionem epistularum notis secretioribus scriptarum et registorum epistularum, a secretariis status annis 1585-1665 ad nuntios datarum et ab eis acceptarum, quae a variis secretariis "della cifra" arcanis notis scriptae et explicatae erant³⁴⁶. In collectione ista servatur quoque litterarum commercium cum nuntiis apostolicis in Polonia, a Camillo Mentovato (1558) ad Antonium Pignatelli (1665), quod praecipue annis 1585-1605 frequentissimum fuit, cum officio secretariorum a notis secretioribus iam supranominati Ioannes et Maffeus Argenti fungerentur³⁴⁷. Quae omnia documenta, una cum collectione non exigua transcriptorum relationum nuntiorum (etiam Polonorum)³⁴⁸, ab anno 1922 in Bibliotheca Vaticana servantur³⁴⁹.

Aliud ex servatis tabulariis secretarii status, scil. collectiones cardinalis Alderani Cybo, qui per totum pontificatum Innocentii XI Odescalchi (1676-1689) munere suo functus erat, hanc regularitatem confirmat. In **Archivo Card. Alderani Cybo**, quod hodie in Tabulario Status Massae invenitur, 3 tantum epistulae nuntii Opatii Pallavicini ad cardinalem illum datae servatae sunt³⁵⁰. Collectio tamen ista (ex 95 codicibus constans) clauditur 5 voluminibus originalis litterarum commercii cardinalis Scipionis Borghese, annos 1609-1623 comprehendentis, in quo circiter 200 epistulae nuntii Francisci Simonetta eiusque auditoris Ioannis Mariae Belletto et internuntii Caesaris Baroffi etiam servantur³⁵¹. Volumina haec Cybo ex Archivio Vaticano asportasse fertur "per necessità contingenti"³⁵², sed verisimilius videtur ea in collectionem ipsius directe ex tabulariis familiae Borghese vel potius Buoncompagni-Ludovisi pervenisse³⁵³.

³⁴⁵ Cfr. supra, p. 10.

³⁴⁶ Haec collectio occupat totam fere sectionem M et magnam partem sectionis N (ad N.II.30).

³⁴⁷ Cfr. BV, *Chigi* M.I.4 (Mentovato), N.II.27 (Pignatelli). Volumen litterarum commercii cum Pignatelli ex annis 1663-1665 casu quodam sub signatura E.II.34 invenitur. Polonica vero ab utroque Argenti collecta sunt in mss. M.II.43, 47, 53, 55, 56, 60. Cfr. supra, p. 31.

³⁴⁸ Servantur plerumque in sectione R (Polonica in R.I.26, 27, 29).

³⁴⁹ Cfr. Bignami, p. 140. Inventaria huius archivi inveniuntur in aula consultatoria Bibliothecae Vaticanae sub signatura 190 (reale, vol. 1-54) et 389 (ordinarium, vol. 1-6).

³⁵⁰ In mss. 24 (n. 45), 81 (n. 137) et 82 (n. 3). Codices 34 et 35 continent tantummodo originale litterarum commercium regum Poloniae eorumque familiarium cum cardinali Cybo ex annis 1656-1699. Epistulae episcoporum aliorumque procerum Polonorum, ad cardinalem Cybo datae, inter epistularum commercium cum aliis personis sparsae inveniuntur in voluminibus secundum annos ordinatis.

³⁵¹ Mss 190-194. Epistulae Francisci Simonetta, Ioannis Belletto et Caesaris Baroffi ad Scipionem Borghese, annis 1609-1612 datae, cum commercio litterarum aliorum nuntiorum in his voluminibus, nullo servato ordine, commixtae sunt.

³⁵² Sic affirmat auctor 5 voluminibus constantis inventarii huius tabularii Iosephus Arseno (cfr. eius introductionem).

³⁵³ Quod attinet ad chronologiam, supplentur epistulis in BV, *Fondo Buoncompagni-Ludovisi*, asservatis, ex quo conici potest eas, similiter ac illas, interceptas esse a cardinali Ludovisi, postquam

Similiter multa pretiosa manuscripta, ad veteres nuntiaturas pertinentia, continentur in magna collectione eximii librorum amatoris, cardinalis Petri Ottoboni, nepotis papae Alexandri VIII Ottoboni (1689-1691), quae a. 1748 a summo pontifice Benedicto XIV empta et Bibliothecae Vaticanae tradita est³⁵⁴. In hac collectione (**codices Ottoboniani Latini**) - praeter exemplaria multarum relationum finalium nuntiorum³⁵⁵ - servantur quoque magni momenti registra epistularum commercii cardinalis secretarii pontificii Tolomaei Gallii, i.a. cum nuntiis Andrea Caligari et Alberto Bolognetti, annos 1579 -1584 complectentis³⁵⁶; invenitur etiam inibi pluribus voluminibus constans minutarium epistularum cardinalis Petri Aldobrandini, fragmenta litterarum a. 1598 ad nuntium Germanicum Malaspina datarum continens³⁵⁷, necnon unica in genere suo collectio documentorum "pro memoria", de meliore ordinatione et efficaciore actione nuntiaturarum, inter quas etiam Polonae, editorum³⁵⁸. Deest autem in hac collectione litterarum commercium cum nuntiis apostolicis, qui tempore pontificatus papae Ottoboni munere suo functi sunt.

Idem litterarum commercium quoque desideratur (licet adsint non pauca exemplaria relationum finalium)³⁵⁹ in collectionibus nepotis Clementis XII (1730-1740), cardinalis Nerei Corsini. In **Bibliotheca Corsiniana** Romae (ad Plateam della Lungara n. 10) servatur unum tantummodo volumen documentorum, ad negotia pertinentium, quae cardinalis iste cum nuntio Camillo Paulucci annis 1730-1738, cum scil. Congregationis Consistorialis sodalis esset, expedienda curabat³⁶⁰.

Unicam exceptionem ex hac regula efficit tabularium familiae summi pontificis Clementis XI Albani (1700-1721). Multa enim eius pontificatus documenta, ad politicam papae agendi rationem pertinentia, a familiaribus eius ablata sunt. A. 1751 Benedictus XIV 268 volumina, maximi momenti acta et documenta illius pontificatus continentia, ab eis redemit et Tabulario Vaticano tradidit³⁶¹. Volumina 193-196 eiusdem collectionis, quae nunc **Fon-**

munere secretarii status fungi coeparat (cfr. supra, p. 60-61).

³⁵⁴ Cfr. Bignami, p. 55. Brevissimum inventarium huius copiosi tabularii adest in aula consultatoria Bibliothecae Vaticanae sub signatura 387 (vol. 1-2).

³⁵⁵ I.a. instructiones pro Cosmo de Torres (1621) et Ioanne Lancellotti (1622) inveniuntur in ms. *Ottob.Lat.* 2725 f. 131r-143r et 189r-199r; relatio autem Berardi Bongiovanni (1560) in ms. 2510 f. 66r-70v.

³⁵⁶ Cfr. *Ottob.Lat.* 2415 et 2417.

³⁵⁷ *Ottob.Lat.* 3252 f. 568r-583r. In collectione epistularum nuntii apud regem Hispaniae, Philippi Segae, inveniuntur etiam aliquae epistolae Caligarii et Hannibalis de Capua (cfr. *Ottob.Lat.* 3206).

³⁵⁸ *Ottob.Lat.* 2206; documenta ad nuntiaturam Polonam spectantia in f. 156r-177r.

³⁵⁹ Una ex maximis collectionibus instructionum et relationum, comprehendit manuscripta 466-577; inter quae invenitur relatio Iulii Ruggieri ex a. 1568 in ms. *Cors.* 475 et eleganter transcriptum *Raguaglio* (Vademecum) Galeatii Marescotti (1670) in ms. *Cors.* 474.

³⁶⁰ Ms. *Cors.* 1186.

³⁶¹ Cfr. Pásztor ASV, p. 210-211.

do Albani efficiunt, documenta ad Poloniam spectantia continent³⁶². Ordine chronologico disposita, incipiunt ab instructione a. 1698 nuntio extraordinario Fabricio Paulucci data³⁶³. Cum enim et reliqua huius voluminis documenta praecipue ad eius missionem in Polonia peractam spectent, adhuc priusquam papa Albani ad summi pontificatus fastigium eveheretur, in sequentibus autem voluminibus maiore ex parte documenta contineantur, quae ad negotia cum nuntiis apostolicis ab illo expedienda tempore, quo non solum munere secretarii status fungebatur (1700-1721), sed etiam Regni Poloniae protectoris vices gerebat (1706?-1712), coniciendum est totam hanc collectionem ab illo videlicet accumulata esse³⁶⁴. Curiosa enim res est, in collectione ista omnino desiderari documenta ad annos 1715-1721 spectantia, ex quo scilicet tempore iuvenis Regni Poloniae protector, cardinalis Hannibal Albani, negotiis Poloniae promovendis serio animum intendit. Epistolae nuntiorum, quae in *Fondo Albani* servantur, quamquam per singula volumina sparsae, facile tamen inveniri possunt, si utaris accurato inventario, ex quo primam de eis notitiam iam a. 1894 Eugenius Šmurlo hausit³⁶⁵.

5) **Tabularia gentilicia Regni Poloniae protectorum.**

Suspiciandum est illam tabularii familiae Albani partem, quae in arcem Vaticanam nunquam rediit, non exiguas continuisse collectiones litterarum commercii nuntiorum apostolicorum in Polonia cum cardinalibus Hannibale et eius ex fratre nepote, Ioanne Francisco Albani, qui inde ab a. 1712 usque ad Reipublicae Utriusque Nationis, post tertiam Poloniae inter hostes divisionem, a. 1795 interitum atque ruinam, Regni Poloniae protectores erant. Epistolae hae a summis pontificibus non vindicabantur propterea, quod inde ab initio litterarum commercium cardinalium protectorum cum regibus Poloniae et nuntiis, apud eorum aulam constitutis, proprium ipsorum patrimonium existimabatur. Quod litterarum commercium ipsa rei natura plerumque minoris momenti esse videtur, quam quod cum Secretariatu Status intercedebat et imprimis ad principalem quaestionem in relationibus nuntiorum cum protectoribus - scilicet nominationes ad beneficia consistorialia - attinebat³⁶⁶. Cum tamen praecipua pars tabularii Albaniorum, quae ab auctoritatibus publicis Prussiae, gente Albaniorum a. 1825 extincta, coempta erat, cum in Germaniam transferretur, naufragium prope portum Civitatis Anti-

³⁶² Vetus signatura *Polonia* 1-4; etiam codex 199 *Miscellaneis* constans, continet aliquot documenta ad Poloniam pertinentia.

³⁶³ Ms. 193 f. 11r-14r.

³⁶⁴ De aliis documentis ab eo relictis cfr. infra, p. 75.

³⁶⁵ Cfr. AV, *Indice* 144; Šmurlo ODK (1895), p. 199. In AV, *F. Garampi* 250, fasc. "R" servatur etiam inventarium rerum in his voluminibus contentarum, a Laurentio Caleppi pro Iosepho Garampi, die 4 VII 1771, antequam in Poloniam profectus esset, confectum.

³⁶⁶ Cfr. supra, descriptionem actorum processuum informativorum de candidatis ad episcopatus.

quae (Civitavecchia) passa sit³⁶⁷, difficile est iudicare, quanti momenti hoc integrum epistularum commercium, saeculo XVIII habitum, fieret. Veri similiter non multo sese ab illo differebat, quod in tabulariis familiaribus Regni Poloniae protectorum saeculi XVI et XVII asservatum est.

Vetustissimae eiusmodi collectiones ad cardinalem Alexandrum Farnese, annis 1544-1589 Regni Poloniae protectorem, pertinuerunt. Satis multae epistulae nuntiorum, totum hoc temporis spatium complectentes, eandem fortunam perpassae sunt, quam et tabularium Farnesiorum cognoverat. Non multa documenta, quae in eis contenta erant, in principali eorum tabulario Parmensi (nunc Tabulario Status) custodiuntur³⁶⁸. Multo plura a. 1736 Parma Neapolim translata sunt, una cum litterarum commercio, quod ad nostros usque dies **Carte Farnesiane** vocatur. Praecipua illorum pars, superiore saeviente omnium gentium bello, 30 IX 1943 a. omnino deleta sunt³⁶⁹. Documenta ad Poloniam spectantia, quae in illis servabantur, nonnisi exeunte saeculo XIX ab historiae studiosis notata et significata sunt³⁷⁰. Servata sunt tantummodo illa satis pauca, quae in 19 codicibus a. 1890 ab Archivo Vaticano redempta sunt³⁷¹.

Collectiones autem subsequentium Poloniae protectorum, Alexandri et Andreae Peretti (1590-1623), hic illic sparsae et dissipatae manent³⁷². Post Cosmum de Torres, olim in Polonia nuntium (1621-1623), annis vero 1623-1642 protectorem, eiusque ex fratre nepotem, Ioannem de Torres, annis 1645-1652 nuntium, in privato, hodie aditu difficili tabulario familiae Dragonetti de Torres, quod Aquilae (in media Italia) est, pauca tantum servantur documenta, quorum brevissima regesta Paulus Collura confecit³⁷³. In privato, quod iam memoravimus, **Archivo Doria Landi Pamfili** Romae, in sectione dicta *Archiviolo* Pamfili, inveniuntur etiam inter epistulas ordine chronologico ordinatas sparsae, aliquot epistulae nuntiorum apostolicorum in Polonia ad cardinalem Ioannem Baptistam Pamfili, qui - antequam summus pontifex (Innocentius X) eligeretur - munere comprotectoris Regni Poloniae annis

³⁶⁷ Cfr. L. Berra, *Albani*, ECI, 638. Nihil, quod ad nuntiaturam Poloniae spectet, invenitur in illis antiquae bibliothecae Albanorum fragmentis, quae in Archivo Status Romae (*Fondo Albani*) et Urbini (cfr. F. Canuti, *Catalogo di manoscritti esistenti nella Biblioteca del papa Clemente XI a Urbino*, Fano 1939) servantur.

³⁶⁸ Omnia a V. Meysztowicz edita, cfr. infra, cap. II, p. 167.

³⁶⁹ Cfr. Riccardo Filangeri di Candida, *Perdita e ricuperi del diplomatico Farnesiano*, in: *Miscellanea archivistica A. Mercati*, Città del Vaticano 1952 (Studi e Testi, 165), p. 269. De historia praecedenti tabularii Farnesiorum scripsit Ioannes Drei, *Gli Archivi Farnesiani, loro formazione e vicende*, Parma 1930.

³⁷⁰ Nonnulla edidit Th. Wierzbowski (cfr. cap. II, p. 113); de registratione ab Expeditionibus Romanis facta cfr. cap. II, p. 124, 131.

³⁷¹ Accuratum inventarium analyticum in AV, *Indice* 1067. Maioris momenti Polonica ex hac collectione edidit Theiner VMPL II.

³⁷² Pars earum servatur in AV (cfr. supra, p. 59). Polonica sunt plerumque dissipata.

³⁷³ Cfr. infra, cap. II, p. 167.

1636-1644 functus est³⁷⁴. Illis tamen pretiosius in ista collectione esse videtur originale registrum epistularum filii Sigismundi III, cardinalis Caroli Alberti Vasa, annis 1622-1635 ad nuntios Polonos datarum³⁷⁵.

Tres Regni protectores (scil. comprotectorem Antonium Santacroce 1631-1641, protectorem Casparem Mattei 1644-1650, comprotectorem Marcellum Santacroce 1660-1674)³⁷⁶, necnon duos nuntios (Antonium Santacroce 1627-1630 et Andream Santacroce 1690-1696) nobilis familia Romana Santacroce Poloniae dedit. Cuius copiosissimi tabularii maxima pars, 700 et supra voluminibus non ligati et male asservati familiaris litterarum commercii constans, hodie Romae in Tabulario Status Italici (AS, **Archivio Santacroce**)³⁷⁷ servatur. A Polonis hactenus fere non exploratum³⁷⁸, vera est "aurifodina" documentorum, ad historiam nuntiaturae Polonae totius paene saeculi XVII illustrandam. Custodiuntur enim in illo non solum maximi momenti codex originalium epistularum, a Polonis ad nuntium Antonium Santacroce datarum (ms. 774), et collectio etiam originalium litterarum ex Secretariatu Status ad Andream Santacroce missarum (ms. 1228), necnon originalia registra epistularis eius commercii cum aliis personis, quae ad eum litteras dabant (ms. 1167), verum etiam permultae et pretiosae epistolae ab eodem nuntio ex Polonia ad familiares suos scriptae (mss. 1222-1224).

Praeter omnem exspectationem, in eiusmodi collectionibus servatur quoque originale registrum epistularum cardinalis secretarii status Alderani Cybo ad nuntios Opitium Pallavicini et Iacobum Cantelmo, annis 1687-1688 datarum (ms. 1225 fasc. 4). Copiosissimum autem litterarum commercium nuntiorum apostolicorum in Polonia cum Antonio Santacroce et Caspare Mattei, Poloniae protectoribus, in 30 et supra reliquis codicibus eiusdem collectionis sparsum exstat³⁷⁹. Desiderantur autem, paucis exceptis, epistolae Polonorum ac nuntiorum in Polonia ad comprotectorem Marcellum Santacroce da-

³⁷⁴ Epistolae hae in singulis voluminibus ordine chronologico dispositae sunt. Epistolae nuntiorum Polonorum inveniri possunt ope brevissimi inventarii, in quo nominantur sub nominibus ipsorum propriis; cfr. Renato Vignodelli Rubrichi, *Fondo detto "Archiviolo" dell'Archivio Doria Landi Pamfilj in Roma*, Roma 1972 (*Miscellanea della Società Romana di Storia Patria*, vol. 22).

³⁷⁵ ADLP, *Archiviolo*, ms. 123 f. 8r-66v. Hoc registrum repertum est ab Adalberto Biliński a. 1987. Praeterea in *Archiviolo* servatur non parva, 22 voluminibus constans, collectio exemplarium notarum nobis relationum nuntiorum, i.a. etiam Polonorum (mss. 82-103). In mss. 158-159 servantur exemplaria notarum nobis instructionum.

³⁷⁶ Cfr. Wodka, p. 115-116, qui tamen erronee ponit finem comprotectionis Polonicae Marcelli Santacroce iam anno 1666.

³⁷⁷ Cfr. Marina Raffaelli, *L'Archivio Santacroce e le Carte Mattei*, in: *Miscellanea in onore di Ruggero Moscati*, Napoli 1985, p. 227-236.

³⁷⁸ Hausit ex illo tantum, quantum scio, epistulas Iacobi Cantelmo Z. Szostkiewicz (cfr. Tab. XXXV).

³⁷⁹ Attentionem nostram merentur manuscripta 209-212 et 775-777, ad Antonium Santacroce attinentia, et 766-767, quae i.a. continent epistulas nuntii Ioannis de Torres ad card. C. Mattei. In vetere inventario n. 46, in aula consultatoria Archivi Status Romae exposito, accurate non nominantur ea, quae in singulis manuscriptis continentur.

tae³⁸⁰, quae in reliqua tabularii Sanctacruciorum parte, vendita vel dispersa, veri similiter inveniuntur. Huius dispersae partis maiorem collectionem esse illam puto, quae a Tabulario Vaticano coempta est, 53 voluminibus constat et etiam *Archivio Santacroce* vocatur. Etiam in hac collectione reperiuntur documenta ad Poloniam spectantia. Praecipue pretiosum est registrum epistularum, quas Andreas Santacroce annis 1690-1691 ad varias congregationes Romanas dedit (ms. 38)³⁸¹.

Epistulis ad nuntios Polonos abundat etiam copiosum tabularium (2300 et supra unitatibus archivalibus, ut aiunt, constans) familiae cardinalis Virginii Orsini (**Archivio Orsini**), inde ab a. 1647 comprotectoris, annis vero 1650-1676 protectoris Regni Poloniae. Quod tabularium nunc in Archivo Capitolino Romae (ad Plateam Ecclesiae Novae, sub n. 18) servatur. Litterarum commercium Virginii Orsini cum Ioanne de Torres, et praesertim cum Petro Vidoni et eius successoribus, in illo omnino commixtum est cum epistulis ad alios vel ab aliis missis, quoniam in singulis etiam voluminibus dispositio severe chronologica observata est³⁸². Documenta haec a Wanda Wyhowska De Andreis una cum aliis rebus Polonicis reperta, explorata et in brevissima compendia redacta³⁸³, non tanti tamen momenti esse videntur, quanti est in eodem tabulario asservatum litterarum commercium, quod Virginio Orsini cum suis Italicis apud aulam regiam Poloniae informatoribus et factoribus interessit.

Etiam Carolus Barberini, annis 1681-1704 Regni Poloniae protector, eiusque comprotector cardinalis Franciscus Barberini iunior, reliquerunt tam epistulas originales nuntiorum, quam sua ad illas responsa, satis distincte disposita et ordinata in supranominato tabulario Barberiniorum³⁸⁴. Ex parte tantum servata tabularia duorum subsequentium protectorum, Francisci Pignatelli (1705-1706) et Fabricii Paulucci (1706?-1711), eorum epistulis ad nuntios, cum munere protectorum fungerentur, datis vel ab eis acceptis, prorsus carent. Eorum autem praecedens litterarum commercium ex Polonia describitur infra³⁸⁵. Vicissitudines autem tabularii duorum ultimarum Regni Poloniae protectorum ex familia Albani iam supra enarravimus. Summatim

³⁸⁰ In voluminibus AS, *Arch.Santacroce* 1162-1164 et 1224 (fasc.1) inveniuntur tantum epistulae Italicorum ad Marcellum Santacroce ex a. 1642-1657 et 1673 (inter quas, foliatione carentes, inveni ex. gr. in ms. 1163 litteras nuntii Ranuzzi, 24 II 1673 datas).

³⁸¹ Omnium Polonicorum ex hac collectione (insimul 89 epistularum et aliorum documentorum) brevissima regesta confecit Wanda Wyhowska De Andreis, cfr. infra, cap. II, p. 167. Vetus ms. 10759 (!) antiqui tabularii Santacroce, epistulas Polonorum ad Antonium Santacroce continens, possidetur a Museo Ucraino (cfr. Tab. XXIII). De alio codice huius archivi a. 1965 Tabulario Vaticano donato vide supra, p. 45.

³⁸² Concisum inventarium manuscriptorum ad eam, quae nostra interest, seriem primam huius archivi in aula consultatoria invenitur.

³⁸³ Cfr. infra, cap. II, p. 167.

³⁸⁴ Cfr. supra, p. 62.

³⁸⁵ Cfr. infra, p. 75.

dicere possumus, litterarum commercium nuntiorum Polonorum cum Regni Poloniae protectoribus non fuisse tamen magni momenti monumentum et fontem, sicut diplomaticum epistularum commercium cum Secretariatu Status, et propterea a nemine vindicatum, magna ex parte periisse.

6) **Tabularia, quae epistulare commercium nuntiorum cum aliis nuntiis conservant.**

Adhuc magis dispersum et dissipatum videtur litterarum commercium nuntiorum apostolicorum in Polonia cum ipsorum collegis, qui in aliis Europae regionibus munere suo fungebantur. Quamquam enim illi etiam particularem et separatam notarum secretiorum rationem a Secretariatu Status saepe obtinebant eo, ut secum notitias communicarent, quae eis utiles viderentur³⁸⁶, non cogeantur tamen Romam mittere informationes, quas sibi invicem significabant. Propterea sortes huiusmodi litterarum commercii plerumque eadem fuerunt atque vicissitudines tabulariorum nuntiorum, ad quos litterae dabantur. Non paucae, neque parvi momenti epistulae nuntiorum Polonorum, ad ipsorum collegas in Germania datae vel ab illis acceptae, servantur quoque in Archivi Vaticani sectione **Nunziatura di Germania** appellata³⁸⁷ et in paucis, proh dolor, collectionibus privatis, inter quas praecipue animadvertendae sunt collectiones Fabii Chigi³⁸⁸, Casparis Mattei³⁸⁹, Domini Passionei³⁹⁰ et Camilli Paulucci³⁹¹.

Inter tabularia ordinum religiosorum, cum quibus nuntiis Polonis rarum litterarum commercium intercedebat, nominandum saltem est Archivum Romanum Societatis Jesu (ARSI, Romae, Borgo Santo Spirito n. 5). In sectione *Epistolae Externorum* (Ep.EE) inveniuntur hic illic sparsae singulae epistulae nuntiorum ad praepositos generales Societatis, in sectione autem *Epistolae Nostrorum* (Ep.NN) servantur registra responsionum ad illas datarum³⁹².

7) **Tabularia Polonorum, cum quibus nuntiis litterarum commer-**

³⁸⁶ Cfr. supra, p. 35.

³⁸⁷ Epistulae Antonii Pignatelli, annis 1661-1663 ad nuntium Vindobonensem Carolum Caraffa datae, in ms. 454A f. 142r-234v; litterae autem Camilli Paulucci ad alium nuntium Vindobonensem, Dominicum Passionei, ex a. 1735 in ms. 527 (ex vetere tabulario Passionei); registra litterarum commercii Fabricii Serbelloni cum Camillo Paulucci (iam nuntio Vindobonae) ex annis 1741-1742 in ms. 783 f. 2r-54v.

³⁸⁸ Epistulae originales Ioannis de Torres ad nuntium Coloniensem, Fabium Chigi, annis 1645-1651 scriptae, in BV, *Chigi*, B.I.3 f. 662r-759v.

³⁸⁹ Nuntii Vindobonae annis 1639-1643. Eius litterarum commercium cum Mario Filonardi, ex hereditate post illum relicta, in AS Romae, *Arch. Santacroce*, sparsum est in mss. 764-765 (originalis litterae) et 1150-1156 (registra responsorum).

³⁹⁰ Nuntii Vindobonensis annis 1730-1738. De epistulis Camilli Paulucci ad eum ex anno 1738, cfr. supra, notam 230.

³⁹¹ Satis magna collectio originalium epistularum Fabricii Serbelloni ad Camillum Paulucci, annis 1739-1741 Vindobonam missarum, in tabulario quodam privato (cfr. infra, p. 75).

³⁹² Ex. gr. 5 responsa praepositi generalis Mutii Vitelleschi ad nuntium Honoratum Visconti, annis 1630-1633 data, inveniuntur in Ep.NN 3.

cium intercedebat.

Separatim dicendum est de epistulis nuntiorum ad varias personas in Polonia habitantes datis, ad quas accedere hodie difficillimum est. Litterarum enim commercium cum regibus eorumque familiaribus plerumque non nisi in registris nuntiorum est asservatum, epistolae vero originales saeculi XVI et XVII variis locis sparsae occurrunt; epistolae ad reges Poloniae ex familia Saxonica et eorum ministros (1697-1763) servantur in tabulario status Dresdensi (Staatsarchiv), hodie accessu difficillimo; septem vero volumina litterarum commercii Antonii E. Visconti, Angeli M. Durini, Iosephi Garampi, Ioannis A. Archetti, Ferdinandi Saluzzo et Laurentii Litta cum rege Stanislao Augusto Poniatowski (1764-1795) et eius aula, necnon volumen annexorum extra ordinem confectum ("contiennent des papiers relatifs au Prélat Ranuzzi destiné nonce en Pologne")³⁹³, a. 1820, cum ceteris documentis Sectionis Italicae, quam vocabant, Petropolim asportata sunt, ubi verisimiliter ad nostros usque dies inveniuntur³⁹⁴. Acta haec, mortuo ultimo Sectionis Italicae moderatore, secretario regio, sacerdote Caietani Ghigiotti (†1796), a Friderico Bacciarelli, clarissimi illius Marcelli pictoris filio, intercepta sunt, qui multo impenso studio et opera, illa pro 2500 rublorum pretio ministro Russico a Confessionibus Religiosis et Instructione Publica, Andreae N. Golycyn, tandem vendidit³⁹⁵. Inventaria illius tabularii, quae occasione venditionis Bacciarelli confecit, ad nostram usque aetatem illius copiosissimae collectionis litterarum commercii nuntiorum apostolicorum cum aula regia Poloniae, altera saeculi XVIII parte unicum exstant testimonium³⁹⁶. Haec ignominiosa procul dubio venditio non nisi ex parte compensatur exiguo numero responsionum regis, manu Caietani Ghigiotti exaratarum, necnon epistulis originalibus nuntiorum, annis 1760-1796 ad eum datis (insimul circiter 200 epistulis), quae hodie in **Archivo Caietani Ghigiotti**, quod sectionem separatam Tabularii Principalis Veterum Actorum Varsaviae (AGAD) efficit, conservantur³⁹⁷.

³⁹³ Agitur de Vincentio Ranuzzi (†1800), postea cardinali (1785), qui veri similiter a. 1783, postquam Archetti Petropolim discessit, ad nuntiaturam Polonam candidatus fuit. Cum tamen supra nominatus fasciculus perierit, veritatem huius coniecturae certo statuere non possumus.

³⁹⁴ Cfr. Eugenia Brańska, *Archiwum Departamentu Włoskiego z czasów Stanisława Augusta* [Archivum Sectionis Italicae Stanislao Augusto regnante], "Archeion", 38 (1962), p. 73.

³⁹⁵ Ibidem, p. 69-75. Non nihil aliter hanc rem rettulit Bacciarelli Sebastiano Ciampi, cfr. infra, cap. II, p. 102-103.

³⁹⁶ Publicavit illa E. Brańska, ut supra, p. 79-87. In collectione litterarum commercii Stanislai Augusti ex annis 1762-1790, nunc in Bibl. Czartorysciana Cracoviae servata (mss. 654-937) omnino desiderantur epistolae a nuntiis acceptae vel ad eos missae.

³⁹⁷ Cfr. *Inwentarz Archiwum Ks. Kajetana Ghigiotti z lat 1760-1796* [Inventarium Archivi sac. Caietani Ghigiotti ex annis 1760-1796] ab E. Brańska confectum (cuius manuscriptum invenitur in aula consultatoria AGAD). Cfr. etiam eiusdem *Ks. Kajetan Ghigiotti i jego archiwum* [Sac. Caietanus Ghigiotti et eius archivum], in: *Miscellanea Historico-Archivistica*, T. 2, Warszawa 1987, p. 133-156.

Non minus sparsae et dissipatae sunt epistolae nuntiorum ad episcopos Polonos datae. Tabularium quidem archiepiscoporum Gnesnensium et Poloniae primatum, quod est Lovicii, non parvo earum numero olim praeditum erat, sed - antequam superius omnium gentium bellum exardesceret - Varsaviam imprudenter translatum, a. 1944 una cum aliis maximi momenti eiusdem tabularii documentis igni deletum est³⁹⁸. Ex reliquis tabulariis ecclesiasticis, **Archivum tantum Dioecesis Varmiensis Olstini** (ADWO) aliquot epistulas nuntiorum, ad Stanislaum Hosium, Martinum Cromerum et Simonem Rudnicki datas, inter epistulas aliis personis inscriptas, continet³⁹⁹.

Accuratius colligebantur non multae quidem, sed saepe pretiosae epistolae nuntiorum, quae ad eximiores Regni Poloniae proceres et dignitarios mittebantur. Maxima earum collectio in **Tabulario Principali Actorum Antiquorum** (AGAD) Varsaviae hodie servatur. Itaque in *Archivo Principum Radziwiłł*, quod partem eiusdem tabularii constituit, 85 eiusmodi epistolae originales, ad annos 1567-1782 spectantes, custodiuntur, quae propter indicem auctorum, ordine alphabetico confectum, inventu satis faciles sunt⁴⁰⁰. Difficilius autem est distinguere inter alia documenta dispersas et disiectas epistulas et diplomata nuntiorum, quae in *Archivo Comitum Zamoyski*, ibidem custodito, servantur, licet et illic aliqui fasciculi tantummodo acta nuntiaturae contineant⁴⁰¹. In *Archivo Publico Familiae Potocki* i.a. reperitur antiquius aliis diarium manuscriptum itineris, a. 1596/7 a cardinali legato Henrico Caetani in Poloniam facti, a Ioanne Paulo Mucante exaratum⁴⁰².

Ex minoribus collectionibus privatis, quae nunc in **Bibliotheca Nationali** (BN) Varsaviae asservantur, maximo epistularum et diplomatum nuntiorum apostolicorum numero instructa est *Collectio Zalusciana*, praesertim autem celebrorum virorum Andreae Stanislai (1695-1758)⁴⁰³ et Iosephi Andreae

³⁹⁸ Veterrimae collectiones epistularum commercii incipiebant a Regni Poloniae primate Nicolao Dzierzowski, quibus usus est Vladislaus Pocięcha in elaborando opere suo *Arcebiszkup Mikołaj Dzierzowski, prymas Polski (ok. 1490-1559)* [Aepus Nicolaus Dzierzowski, primas Regni Poloniae (circa 1490-1559)], "Nasza Przeszłość", 2 (1947), p. 36-102.

³⁹⁹ Quae in sectione **D** servantur. Pars earum deinde in Bibl. Czartorysciana Cracoviae deposita est (mss. 1602-1640).

⁴⁰⁰ AGAD, *Arch. Radziwiłłów*, Sectio V (Epistolae Principum Externorum) - inventarium in aula consultatoria. Copiosissima est documentatio ad missionem Alexandri Komulović, annis 1595-1597 peractam (17 epistolae in theca 55, fasc. 2371) et nuntiaturam Claudii Rangoni ex annis 1600-1604 (16 epistolae in theca 298, fasc. 12896).

⁴⁰¹ Ex. gr. libellus n. 302 cum epistulis Claudii Rangoni, Francisci Diotallevi et Antonii Santacroce ad Thomam Zamoyski, annis 1605-1628 datis; libellus n. 501 continet epistulas Antonii Davia, Andreae Santacroce et Francisci Pignatelli ad Annam Zamoyska, annis 1696-1704 scriptas. 4 voluminibus constans inventarium collectionum huius copiosissimi tabularii (31603 unitates archivales) invenitur in aula consultatoria AGAD.

⁴⁰² Ms. 159 trecentis triginta sex chartis constans.

⁴⁰³ Cfr. registra 1 epistolae ad Fabricium Serbelloni et 8 ad eius auditorem Hieronymum Salari, annis 1742-1743 datarum, in mss. BN. III.3223-3224.

(1702-1774)⁴⁰⁴ Załuski. Singulae, sed magni momenti epistulae inveniri etiam possunt in collectionibus Nicolai Spytconis Ligęza, castellani Sandomiriensis (†1637)⁴⁰⁵, Iacobi Michałowski (1601-1658)⁴⁰⁶, et familiae Morstini⁴⁰⁷ (nunc omnes in Bibliotheca Nationali Varsaviae depositae), necnon in tabulariis familiarum Sapieha et Chodkiewicz, hodie in **Bibliotheca Academiae Scientiarum Polonae** (BPAN) Cracoviae asservatis⁴⁰⁸. Nonnihil maior numerus epistularum Andreae Opaliński, Regni Poloniae marscalci (†1593), eiusque familiarium ad Hannibalem de Capua, Hippolytum Aldobrandini, Henricum Caetani et Claudium Rangoni, annis 1587-1605 scriptarum, servatur in **Bibliotheca Cornicensi Academiae Scientiarum Polonae**⁴⁰⁹, in qua servata sunt quoque documenta, ad vetustiores nuntiaturas Polonas (1519-1525) pertinentia⁴¹⁰. Similiter singulae epistulae et documenta nuntiorum inveniri etiam possunt in aliis tabulariis Polonis, quae ab interitu et asportatione, inde a spoliationibus medio saeculo XVII a Suecis factis, usque ad evectiones annis 1939-1945 peractas, feliciter servari potuerunt.

8) Tabularia gentilicia legatorum et nuntiorum.

Omnes originales responsiones ad epistulas nuntiorum et alia scripta, cum illorum missione in Polonia coniuncta, in tabulariis nuntiorum inveniri deberent. Attamen *Tabularium Nuntiaturae Varsaviensis*, cuius illa colligere et coacervare maxime interesse videretur, possidet, ut vidimus, tantummodo originale litterarum commercium alterius partis saeculi XVIII et partem registorum expeditionum gratiarum et contentiosorum, ad anteriora tempora attinentium. Quae cum ita sint, epistulae originales, ad nuntios apostolicos ante annum 1766 datae (quo anno decretum de eis in tabulario nuntiaturae deponendis et conservandis latum est), in privatis tabulariis nuntiorum vel eorum familiarium quaerendae sunt.

Pars eiusmodi documentorum per viam sequestri⁴¹¹, donationis⁴¹² vel

⁴⁰⁴ Epistulae originales Alberici Archinto, Nicolai Serra, Antonii Visconti et Iosephi Garampi in mss. BN.III.3253, 3260, 3263, 3268 et 3270 sparsae.

⁴⁰⁵ Epistula ad Ioannem Lancellotti ex a. 1624 in registro eius litterarum in BN.III.6614 f. 157v-158v.

⁴⁰⁶ Epistula Vladislai Myszkowski ad Petrum Vidoni in causa Universitatis Cracoviensis (BN.III.6634 f. 201r-v).

⁴⁰⁷ Decretum nuntii Buonvisi de persolvendis decimis, 11 VII 1674 datum (BN.III.6635 f. 481r-482v).

⁴⁰⁸ Commercium litterarum familiae Sapieha servatur in mss. 344-350 (in ms. 347 habentur singulae epistulae Antonii Santacroce a. 1630 et Honorati Visconti annis 1631-1633 datae); in ms. 358, ad familiam Chodkiewicz pertinente, invenitur i.a. epistula Francisci Simonetta ad eandem familiam a. 1611 scripta.

⁴⁰⁹ In ms. 245.

⁴¹⁰ In mss. 223, 228, 243, 244, pertinentibus ad collectiones Stanislai Górski (Acta Tomiciana), cfr. *Katalog rękopisów staropolskich Biblioteki Kórnickiej* [Catalogus veterum manuscriptorum Polonorum in Bibliotheca Cornicensi servatorum], T. 2, Wrocław 1985.

⁴¹¹ Epistulae originales Hannibali de Capua inscriptae, cfr. supra, p. 41.

⁴¹² Documenta originalia ex hereditate post Io. Franciscum Commendone et Franciscum Diotallevi relicta et registrum Vincentii Lauro, cfr. supra, p. 42-43, 45.

emptionis⁴¹³ in tabularium Secretariatus Status rediit. Similiter per viam donationis et vindicationis redierunt etiam partes tabulariorum, et quidem maximi momenti, nuntiorum saeculi XVIII⁴¹⁴. Documenta ad Poloniam spectantia, in privatis tabulariis legatorum et nuntiorum servata, qui postea summi pontifices, secretarii status vel Regni Poloniae protectores fuerunt (Hippolytus Aldobrandini, Cosmus et Ioannes de Torres, Antonius et Andreas Santacroce), iam supra descripsimus. Restat ergo, ut ad extremum illas describamus collectiones, quae in reliquis tabulariis gentilicis nuntiorum, quae, ut nobis constat, adhuc existunt et sunt accessibilia, inveniuntur.

Inter illa, ordinem chronologicum sequendo, primum est privatum **Archivum** Romanum familiae **Caetani** (in Platea "Botteghe Oscure", sub. n. 32), in quo, ope facillimi usu inventarii chronologici (littera "C" signati), omnia, quae ad legationem card. Henrici Caetani in Polonia a. 1596-1597 referuntur, adire possumus⁴¹⁵. Epistulae (et scripta originalia, ut instructio Clementis VIII ac summarium facultatum) ipsius cardinalis et praesertim eius nepotum ad familiares ex Polonia Romam missae, inveniuntur ibi sub uniuscuiusque proprio numero. Reliqua scripta in serie *Miscellaneorum* collocantur, inter quae antiquissimum manuscriptum *Diarii* Ioannis Pauli Mucante (Misc.59/78) et elegans manuscriptum registri litterarum commercii cardinalis cum Secretariatu Status et cum aliis nuntiis (Misc. 62/57) eminent⁴¹⁶.

In **Archivo** familiae **Lancellotti** Lauri prope Neapolim servantur, praeter expectationem, tantum originales instructiones nuntio Ioanni Baptistae Lancellotti, a. 1622 datae. Desiderantur omnino epistulae⁴¹⁷. Quibus tam originalibus Secretariatus Status, quam nuntii in registrum relatis, cumulate refertum est **Archivum** familiae **Ranuzzi**, quod hodie partem efficit Archivi Status Bononiensis, quodque conservat 6 volumina epistularis commercii Angeli Ranuzzi toto tempore eius nuntiaturae, annis 1671-1673 datarum et acceptarum⁴¹⁸. Pariter copiosae collectiones epistularum eius successoris annis 1673-1675, Francisci Buonvisi, in **Archivo Buonvisi** (hodie in Archivum Status in civitate Lucensi) servantur, quae ulteriore praesentatione non in-

⁴¹³ Collectiones Germanici Malaspina, una cum integro tabulario Burghesiorum coemptae, cfr. supra, p.59.

⁴¹⁴ Cfr. supra, p.43.

⁴¹⁵ Cfr. inventarium *Documenti per la Domus Caietana* intitulatum, series C (*Ordinamento cronologico*), nn. 23-24 (annos 1594-1600 comprehendentia). Inventarium hoc potius regestum documentorum dici potest, quibus usus est Gelasius Caetani in conficiendo libro *Domus Caietana*, cuius magnam partem descriptio legationis card. Henrici occupat (T. 2, Sancasciano Val di Pisa 1933, p. 300-313).

⁴¹⁶ Cfr. Tab. XVI.

⁴¹⁷ Ad tabularium istud a. 1987, accedente benevolentia principis Pauli Lancellotti, permissus est accessus Thaddaeo Fitych, editionem actorum Lancellotti apparanti.

⁴¹⁸ Accurata descriptio horum voluminum, iam a. 1776 ad usum Garampii confecta, servatur in AV, *F.Garampi* 192 s.f.; de praesenti eorum statu cfr. Gianfranco Orlandelli, *L'Archivio Ranuzzi*, "Notizie degli Archivi di Stato", 8 (1948), p. 192. Cfr. Tab. XXXI.

digent eo, quod omnes editae sunt⁴¹⁹. Ad supranominatas collectiones privatas nuntiorum adiungendae sunt etiam 300 et supra epistulae Vincentii Gravina, factoris nuntii Francisci Pignatelli, annis 1700-1703 datae, quae in tribus voluminibus partim servati veteris **Archivi Pignatelli**, Neapoli in Bibliotheca Nationali depositi, servantur⁴²⁰.

Epistulari commercio ex archivis gentilicis nuntiorum primae partis saeculi XVIII abundant 2 collectiones privatae. In quadam collectione Romana conservantur tres codices originalis litterarum commercii necnon pretiosum registrum epistularum **Horatii Spada** ad diversas congregationes Romanas, ad totam eius nuntiaturam pertinentium, annis 1704-1706 datarum vel acceptarum. Secunda collectio, quae etiam possidet magnam copiam documentorum, quae tamen incompleta sunt, ad nuntiaturas **Fabricii et Camilli Paulucci** pertinet. Praeter omnem expectationem, in collectione ista omnino desideratur litterarum commercium cardinalis Fabricii Paulucci cum Polonis illo tempore habitum, quo munere protectoris Regni Poloniae fungebatur (1706-1712), inter minutas autem epistularum, quas, cum secretarius status esset, scripsit, inveniuntur tantum litterae, annis 1724-1727 ad nuntium Vincentium Santani datae, ergo illo temporis spatio, quo iterum penes Benedictum XIII Orsini officio secretarii status fungebatur. Quae res suspicionem nostram confirmare videtur volumina "Polonica", in collectionibus Albaniorum servata, ab eo videlicet provenire⁴²¹. Multo autem pretiosius est completum registrum eius epistularum, notis secretioribus scriptarum et deinde enodatarum, posteriore anni 1698 parte ad Pontificium Secretariatum Status datarum, cum scilicet munere legati extraordinarii instructus in Poloniam missus esset.

Collectio ista magis abundat documentis, a cardinalis Fabricii ex sorore nepote, Camillo Paulucci-Merlini, relictis, ad nuntiaturam eius Poloniam (1728-1738) et Vindobonensem (1738-1743) attinentibus. Praeter enim iam supranominatum litterarum commercium cum Fabricio Serbelloni, servantur in ea originales epistulae arcanis notis scriptae et deinde explicatae, a Iosepho Firrao, secretario status, a. 1736 datae, epistulae originales Hannibalis Albani, cardinalis Regni Poloniae protectoris, annis 1729-1730 scriptae, completum registrum litterarum commercii inter nuntium et congregationes Romanas, ad integrum tempus nuntiaturae eius pertinentis, et maximi momenti registrum similis litterarum commercii, quod nuntio annis 1731-1732 cum

⁴¹⁹ A. F. Diaz et N. Carranza, cfr. infra, cap. II, p. 163; cfr. etiam Tab. XXXII.

⁴²⁰ Mss. XIII.B.45-47. Cfr. Mario Sterzi, *Vincenzo Gravina, agente in Roma di Mons. Giovanni Francesco Pignatelli*, ASRSP 48 (1925), p. 201-390. In collectionibus Romanis familiae Pignatelli desunt documenta tum ad nuntiaturam Poloniam Antonii Pignatelli (postea Innocentii XII pontificis maximi, annis vero 1660-1668 nuntii apostolici in Polonia), tum Francisci Pignatelli, cfr. *Catalogo di libri stampati e manoscritti, disegni, incisioni ed acquarelli riguardanti Innocenzo XII (Pignatelli), raccolti e posseduti dal principe Don Diego Pignatelli di Cavaniglia*, Roma 1902.

⁴²¹ Cfr. supra, p. 66.

Polonis intercessit⁴²². Absentia reliquorum eiusdem registri voluminum et lacunae quaedam in commercio litterarum Iosephi Firrao⁴²³ et Hannibalis Albani clare demonstrant, partem non contemnendam actorum nuntiaturae utriusque Paulucci in tabulario illorum heredum conservabatur, quod a. 1966 Florentiae ingenti aquarum inundatione prorsus deletum est.

Reliquiae tantum documentorum nuntiaturae Polonae, quae Archivo Vaticano tradita erant, in tabulariis familiae **Ioannis A. Archetti** Bergomi⁴²⁴ et **Laurentii Litta** Mediolani⁴²⁵ servantur. Nullo autem modo attingi possunt, in aditu difficillimo **tabulario Duriniorum**, Mediolani vel potius (ut fertur) in quodam eorum feudi pago depositae, copiosissimae chartae Mariae Angeli Durini (1767-1772), qui - spreteis severis mandatis pontificiis - ne epistulas quidem e Secretariatu Status ad se datas Varsaviae, in tabulario nuntiaturae, reliquit neve eas Sedi Apostolicae restituit⁴²⁶. Qualem fortunam cognoverint documenta, ab aliquot reliquis nuntiis ex Polonia asportata, ignoramus.

Dissipatio et amissio collectionum suarum, quas aliquot tabularia privata vel familiaria quorundam nuntiorum Polonorum subierunt, inde secutae sunt, quod eorum sortes plerumque ex arbitrio et voluntate heredum pependerunt, qui ea saepe librorum et manuscriptorum colligendorum studiosis vendere aut donare soliti sunt. Multa in hac re discere possumus ex fortunae vicissitudinibus hereditatis, a nuntio Ioanne Francisco Commendone eiusque secretario Antonio Maria Graziani relictas. Nam usque ad medium saeculum XIX chartae eorum "Polonicae" fere omnes in **Tabulario Margherini-Graziani** in Civitate Castelli servabantur, sed iam a. 1864 venundari coeptae sunt⁴²⁷, et pars illarum reapse vendita est; ad residuam vero partem, magnis tamen cum difficultatibus, temporis spatio duobus superioribus bellis comprehenso, singuli heredes viris doctis aditum permittebant⁴²⁸. Bello autem finito, originalia documenta nuntiaturae Ioannis Francisci Commendone (1563-1565) in manibus privatorum rerum antiquarum amatorum, partim in Italia (collec-

⁴²² Duo volumina ligata in folio, sub titulo *Registrum Epistolarum Polonicis responsivarum*.

⁴²³ Volumen epistularum notis secretioribus scriptarum secretarii status ad Camillum Paulucci datarum, in hac collectione servatarum, suppletur epistulis "in piano", in *AV, Nunz. di Polonia* custoditis (cfr. supra, notam 220).

⁴²⁴ Nunc in *Biblioteca Civica* Bergomensi. Indicem personarum, quarum epistulae ad Andream Archetti datae in tabulario isto servantur, confecit G. Locatelli, *L'Archivio Archetti*, "Bergomum", Parte Speciale, 19-21 (1026-1927); quae, cum munere nuntii fungeretur, fuerunt plerumque Poloni et factores Italici Andreae Archetti.

⁴²⁵ Cfr. Giacomo Bascapé, *L'Archivio Litta*, Milano 1952.

⁴²⁶ Cfr. supra, p. 48. Anno 1795 Durini maximam partem collectionum suarum tradidit Bibliothecae publicae Braidensi Mediolani (nunc *Biblioteca Nazionale Braidense* vocatur), sed desiderantur in eis chartae ipsius propriae, cfr. *Annuario delle Biblioteche Italiane*, T. 2, Roma 1971, p. 314, 317.

⁴²⁷ Vladislaus Abraham in relatione sua (*Sprawozdanie*) de investigationibus a. 1896-1897 in Italia peractis (p. 21-22), adducit integrum catalogum manuscriptorum, quae tunc temporis venundabantur.

⁴²⁸ Cfr. infra, cap. II, p. 150-153.

tiones Emerici Hutten-Czapski et archiepiscopi Iosephi Gawlina), partim in Foederatis Americae Statibus (in bibiothecis universitatum Harvardianae et Austinianae), apparuerunt; in possessionem vero magnae documentorum copiae, ad legationem ab eodem Commendone annis 1571-1573 in Polonia peractam pertinentium, venit scriptor Alexander Janta-Półczyński, qui partem eiusdem collectionis ante annum 1972 "uni ex magnis Foederatarum Americae Civitatum athenaeis" tradidit⁴²⁹.

Idem Janta descripsit etiam miram sane historiam illius tabularii Ranutorum partis, quae nostra maxime interest. Anno enim 1968 bibliotheca universitatis in oppido Austin in Foederatis Civitatibus Londinii in auctione pro pretio 15000 libellarum Anglicarum 600 fasciculos ex tabulario illo coemit. Inter quos fuerunt etiam 3 volumina documentorum ad Poloniam spectantium, a nuntio Angelo Ranuzzi collectorum: 50 documenta cum legatione cardinalis Henrici Caetani (a.1596/7 peracta) coniuncta⁴³⁰, plura scripta ad nuntiaturam Galeatii Marescotti (1668-1670) spectantia⁴³¹ et aliquot exemplaria ex annis 1683-1697⁴³². Ut videmus, exploratio documentorum, quae ex tabulariis nuntiorum apostolicorum proveniunt, in totum fere terrarum orbem se extendere poterit.

9) Collectiones amatorum antiquitatis.

Ultimum et ab iis, quae hactenus distinximus, prorsus diversum genus privatae collectiones amatorum antiquitatis efficiunt. Iam enumeravimus illas, quae in umbra, ut ita dicamus, tabulariorum familiarum Barberini, Chigi, Corsini, Ottoboni excreverunt. Sed adhuc aliquot nominandae videntur. Prima inter omnes est illa, quae temporum decursu maximam partem illarum ipsa absorbit, Bibliotheca scil. Apostolica Vaticana, quae inde a saeculo XV maximi momenti totius mundi litterarum monumenta colligere et coarcervare coeperat⁴³³. Nil igitur mirum, quod in **Codicibus Vaticanis Latinis**, in ea servatis, multa pretiosissima documenta custodiuntur, ad nuntiaturam quoque Poloniam pertinentia, inde a legatione Pamphili Strassoldo, a. 1536 peracta⁴³⁴, usque ad privatum litterarum commercium Iosephi Garampi, quod ei cum factore ipsius Vindobonensi Schmittner et multis Polonis ad finem usque saeculi XVIII intercessit⁴³⁵. Scripta haec, inter quae reperitur etiam pars tabularii nuntii Marii Filonardi (1635-1643)⁴³⁶, valde tamen dissipata

⁴²⁹ Collectionem hanc descripsit Janta in commentario suo *Przyjemnie zapoznać*, Londyn 1972, p. 229-235. Hodie invenitur in *University of Kansas Library* in civitate Austin.

⁴³⁰ Ms. 12795. Janta affirmat ea ex archivo familiae Caetani provenire (p. 262).

⁴³¹ Ms. 12656.

⁴³² Ms. 12794, cfr. Janta, p. 262-263.

⁴³³ Cfr. Bignami, p. 9-11.

⁴³⁴ BV, *Vat.Lat.* 3915.

⁴³⁵ BV, *Vat.Lat.* 12550-12551.

⁴³⁶ Duo volumina originalium epistularum, ad eum in Poloniam datarum (*Vat.Lat.* 8473 I/II), et

et disiecta sunt⁴³⁷.

Nec minus dissipata sunt permulta exemplaria instructionum et relationum nuntiorum apostolicorum in Polonia in **Codicibus Urbinatibus** Bibliothecae Vaticanae⁴³⁸ et aliis collectionibus minoribus, quarum saltem pretiosissimae hic nominandae sunt: *Relatio Regni Poloniae* Vincentii Lauro a. 1576 exarata, registrum Germanici Malaspina litterarum commercii cum Polonis annis 1592-1596 habiti, et *Scritture spettanti a varii negozii di Polonia* ex annis 1588/9 et 1596/7, cum scil. sodales Oratorii S. Philippi Neri munere secretariorum fungerentur legationum in Polonia cardinalium Hippolyti Aldobrandini et Henrici Caetani, quae in copiosissima bibliotheca huius Oratorii et Caesaris Baronii Romae servantur (**Bibliotheca Vallicelliana** nuncupata, sita Romae ad Plateam Ecclesiae Novae, sub n. 18)⁴³⁹. Unicum in genere suo copiarium litterarum commercii Collegii Cardinalium, quod i.a. cum nuntiis in Polonia annis 1678-1700, quotiescumque Ecclesiam summo pontifice vacare contigit, habuerunt, possidet **Bibliotheca Angelica**, Romae penes templum divo Augustino sacrum sita⁴⁴⁰. **Bibliotheca** autem **Casana-****tensis**, olim Ordini Praedicatorum a cardinali Hieronymo Casanate testamento legata (sita Romae, ad viam S. Ignatii 52), continet completam documentationem ad legationem cardinalis Henrici Caetani in Polonia, scil. 4 volumina registorum eiusdem litterarum commercii, annos 1596-1597 comprehendentis⁴⁴¹.

Inter collectiones Polonas, quae documenta ad historiam nuntiaturae apostolicae in Polonia spectantia continent, **Bibliotheca Czartorysciana** Cracoviensis imprimis nominanda est, quae revera ex pluribus collectionibus, saeculis XVIII et XIX a principibus Czartoryski a collectoribus privatis et aliis acquisitis, constat⁴⁴². Praecipue copiosae fuerunt collectiones veteris bibliothecae regis Stanislai Augusti Poniatowski, a. 1819 a Thaddaeo Czacki,

completum minutarium eius epistularum ex Polonia missarum (*Vat.Lat.* 8472 VII), Bibliothecae Vaticanae a. 1826 ab heredibus eius donata.

⁴³⁷ Adiri tamen possunt ope inventariorum in aula consultoria Bibliothecae Vaticanae praesentium, quorum alia, brevia et manuscripta, ad codices 1-14233 (*Indici* 301-317), alia, accurata et typis impressa, ad manuscripta 1-1266, 1461-2192, 9734-82 et 9852-11709 (*Indici* 12-17, 31-34) referuntur.

⁴³⁸ Cfr. mss. *Urb.Lat.* 823, 837, 855, 865 et 1020. Collectiones istae usque ad a. 1631 fuerunt ducum Urbini, cum ab Urbano VIII papa in sequestro positae et in Bibliothecam Vaticanam translatae essent. Anno 1645 in sola sectione manusciporum Latinorum continebantur 6442 codices. Cfr. Bignami, p. 141. Inventaria typis impressa ad codices 1-1779 annis 1902-1921 a Cosmo Sternaolo publicata sunt.

⁴³⁹ Mss. L.16, L.18 et N.34.

⁴⁴⁰ Ms. 1242.

⁴⁴¹ Mss. 1562-1565.

⁴⁴² Eiusmodi sunt ex. gr. - praeter eas, quas infra descripturi sumus - collectiones Regni Poloniae cancellarii Ioannis Szembek ex annis 1703-1731 (BCz, mss. 446-520), quae singulas epistulas nuntiorum Francisci Pignatelli et Camilli Paulucci continent, necnon litterarum commercium episcoporum Varmiensium saeculi XVI et initii XVII in mss. 240, 403 et 1594-1643, una cum epistulis nuntiorum eiusdem temporis.

qui tunc illarum possessor fuit, principibus Czartoryski venditae, inter quas fuerunt *Thecae Naruszewiczianae*, quae vocantur (apographa maximi momenti documentorum, historiam Poloniae illustrantium, i.a. apographa nonnullorum actorum nuntiaturae Poloniae, ab Adamo Naruszewicz annis 1781-1792, iussu regis confecta)⁴⁴³, et *Thecae Albertrandianae*, de quibus infra prolixius loqui in animo habemus. Quae omnes collectiones initio in aedibus principum Czartoryski Pulaviae servabantur. "Cum tamen anno 1831 pro libertate atque aris et focis decerneretur, collectiones illae Pulavienses, a periculis non immunes, translatae sunt primum Sieniaviam, postea Lutetiam [Parisiorum], ubi principes Czartoryscy, Patria egredi coacti, novas condiderunt aedes"⁴⁴⁴. In patriam reportatae, ab anno inde 1876 partem Musei Nationalis Czartorysciorum Cracoviae instituti efficiunt⁴⁴⁵. Documenta nuntiorum, in museo illo hic illic sparsa, ope catalogorum, a Iosepho Korzeniowski et Stanislaio Kutrzeba confectorum, facile reperiri et adiri possunt⁴⁴⁶.

Non minus copiosa et locuples est, a veris librorum amatoribus condita, bibliotheca illa **Ossoliniorum**, nunc Vratislaviae instaurata, quo annis 1946-47 ex pristinis aedibus suis Leopoltianis translata erat. Ad historiam tamen nuntiaturae Poloniae explorandam collectiones in ea servatae minoris certo momenti sunt, quam illae, quae Cracoviae in Bibliotheca Czartorysciana asservantur. Ex documentis, ad nuntiaturam Polonam spectantibus, quae in ea custodiuntur, nominandum fortassis est exemplar integri codicis instructionum nuntiis, qui Gregorio XV pontifice maximo fuerunt, i.a. Cosmo de Torres a. 1621 et Ioanni Baptistae Lancellotti a. 1622 datarum. Non constat nobis, qua via et modo istud pretiosum manuscriptum, procul dubio in Italia confectum, in possessionem Ossoliniorum venerit⁴⁴⁷.

Multa documenta nuntiorum apostolicorum in Polonia continentur vel continebantur, praesertim saeculo XVIII, in collectionibus privatis singulorum. Cuius rei exemplum est magnum illud documentorum corpus, **Fondo Garraffi** nuncupatum, quod revera est privatum tabularium nuntii olim apostolici in Polonia, a. 1795 Archivo Vaticano testamento legatum. Tabularium istud, satis neglegenter recensitum et in inventaria relatum⁴⁴⁸, continet

⁴⁴³ Cfr. J. Korzeniowski, *Catalogus codicum manu scriptorum Musei Principum Czartoryski Cracoviensis*, Vol. 1, Cracoviae 1887-1893, p. 1-31 (descriptio historiae et documentorum totius Corporis Naruszewicziani, quod 217 manuscriptis constat).

⁴⁴⁴ *Ibidem*, p. 3.

⁴⁴⁵ Cfr. K. Buczek, *Z przeszłości Biblioteki Muzeum XX Czartoryskich* [Bibliotheca Musei Principum Czartoryski temporibus actis quae fuerit], "Przegląd Biblioteczny", 10 (1936), fasc. 4.

⁴⁴⁶ Primum eorum volumen confecit J. Korzeniowski (ut supra), alterum autem (eodem modo inscriptum) a. 1909 Cracoviae edidit Stanislaus Kutrzeba.

⁴⁴⁷ Ms. 1257 (instructiones pro Torres et Lancellotti in p. 307-357 et 627-675). Cfr. W. Kętrzyński, *Katalog rękopisów Biblioteki Zakładu Narodowego im. Ossolińskich* [Catalogus manuscriptorum Bibl. Ossolinianae], T. 3, Lwów 1898, p. 437.

⁴⁴⁸ Inventarium in AV, *Indice* 157.

multa, plerumque non consuta et foliationae carentia documenta, non solum ad historiam nuntiaturae ipsius Garampii attinentia (instructionem in manuscripto 59, facultates in ms. 85, pretiosissimum diarium in mss. 69-73 et 191, "claves" ad notas secretiores explicandas in ms. 145 et copiosum privatam litterarum commercium cum Polonis, in multis aliis manuscriptis sparsum), sed etiam opera eius propria de historia nuntiaturae Polonae scripta⁴⁴⁹ et collectiones actorum originalium et apographorum ab antecessoribus ipsius relictorum⁴⁵⁰.

Similis fuit collectio alterius magni librorum amatoris, cardinalis Domini Passionei, quae, post eius mortem (†1761), annis 1761-1763 Tabulario Vaticano tradita et variis eius sectionibus inserta est⁴⁵¹. Collectio ista - praeter ipsius Passionei litterarum commercium cum nuntiis apostolicis in Polonia⁴⁵² - multa etiam alia possidebat documenta, quae ad nuntios anteriores olim pertinuerunt, ex. gr. registrum epistularum cardinalis Henrici Caetani, quas iste tempore saepius memoratae suae in Poloniam legationis dedit⁴⁵³. Exemplaria illius registri, relatio, quam post reditum suum ex Polonia in consistorio fecit, et multae eius epistulae, una cum exemplaribus multarum instructionum pro aliis nuntiis et registro epistularum commercii Marii Filonardi, efficiunt maximi momenti corpus documentorum ad Poloniam spectantium, quod in collectione, 307 voluminibus constante, alius cardinalis, vetustarum litterarum amatoris, Caroli Pii de Sabaudia (†1689), servabantur; anno 1753 a Tabulario Vaticano coempta, collectio haec est hodie pars principalis praesentis **Fondo Pio**⁴⁵⁴.

Scriptis, ad nuntios apostolicos in Polonia spectantibus, vehementer delectatus esse videtur abbas Martinus Vespignani de Foro Cornelii (Imola), in cuius collectione, quam bibliothecae monasterii Capucinatorum in civitate sua tradidit (a. 1870 ab auctoritatibus publicis Italiae in sequestro posita, nunc in **Biblioteca Comunale** servatur)⁴⁵⁵, accuratissime transcripta inveniuntur duo volumina litterarum commercii legati Henrici Caetani⁴⁵⁶, *Vademecum* Galeatii Marescotti⁴⁵⁷ et, inter alia, instructio pro Cosmo de Torres, a. 1621 ei data⁴⁵⁸. Martini Vespignani etiam fuisse videtur maximi sane momenti docu-

⁴⁴⁹ De quibus vide infra, in cap. II, p. 83-97.

⁴⁵⁰ Ex. gr. facultates, Ioanni Lancellotti 17 VIII 1624 a. datae, sunt in ms. 122 s.f. Multa horum manuscriptorum perierunt, alia in sectionem *Nunz. di Polonia* translata sunt (ms. 395 et aliquot Addit.).

⁴⁵¹ Cfr. Pásztor PSAV, p. 157-164.

⁴⁵² Cfr. supra, p. 70.

⁴⁵³ Nunc in AV, *Nunz. Diverse* 273.

⁴⁵⁴ Cfr. Pásztor ASV, p. 223. Polonica facile inveniri possunt ope analytici indicis (AV, *Indice* 1091).

⁴⁵⁵ Cfr. R. Galli, *I manoscritti e gli incunaboli della Biblioteca Comunale d'Imola*, Imola 1894, p. XXX.

⁴⁵⁶ Ms. 60 I/II, per errorem *Nunziatura del Graziani* inscriptum; constat 818 foliis, eiusdem manus scriptura repletis. Fortassis agitur de exemplaribus quattuor voluminum, in Bibl. Casanatensi servatorum, mss. 1562-1565 (cfr. supra, p. 78).

⁴⁵⁷ Ms. 92, eadem manu ac ms. 60 exaratum.

⁴⁵⁸ Ms. 94.

mentum "Polonicum", quod in illa provinciali bibliotheca servatur: *Conto dei sussidi rimessi dalla Santità di Nostro Signore Innocenzo XI a Mons. Palavicini, nunzio apostolico in Polonia, per esser impiegati nella presente guerra contro Turco et impiego de' medesimi*. Scriptum hoc (ex hereditate ab ipso Palavicini relicta depromptum?) est originalis collectio rationum et apocharum pecuniae a nuntio ad bellum cum Turcis gerendum acceptae - unicum huius generis documentum inter scripta a nuntiis apostolicis in Polonia relicta⁴⁵⁹.

Mirae vicissitudines tot aliarum collectionum privatarum optime illustrantur historia inquisitionum in collectione cardinalis Francisci Zelada (†1801), a Polonis susceptarum. Collectio ista, mortuo suo possessore, ab archiepiscopo Toletano, cardinali Francisco Lorenzana, empta est, qui eam deinde capitulo suo cathedrali Toletano donavit. A. 1910 Ludovicus Boratyński casu quodam fortuito didicit in collectione ista servari completum registrum epistularum nuntii Alberti Bolognetti, annis 1581-1585 datarum. Statuto tandem loco, quo collectio ista custodiretur, a. 1913 reperta sunt integra 4 volumina, pretiosissimo litterarum commercio Alberti Bolognetti referta, quae iam fere paratam editionem actorum eiusdem nuntii admodum locupletarunt⁴⁶⁰. Quae secutae sunt explorationes, in eadem collectione peractae (in **Archivo Capitulari Toletano**), permiserunt, ut a. 1921 Czeslaus Nanke detegeret in illa 2 volumina epistularum originalium cardinalis secretarii status, Iosephi Firrao, ad Petrum Franciscum Giannini, annis 1734-1738 auditorem nuntiaturae Varsaviensis, datarum, et adhuc unum exemplar *Vademecum* Galeatii Marescotti⁴⁶¹. Recens in chartis a Garampio relictis inventa est mentio de servato illic "Registro delle lettere di Mons. Santini, Arcivescovo e Nunzio Apostolico in Polonia, ricavato dalla Biblioteca Zeladiana, dai 18 XI 1723, in pagine 99"⁴⁶². Huic reperto addendum est adhuc saltem pretiosum registrum commercii litterarum Aloisii Lippomano, annos 1555-1557 complectentis, Romae transcriptum et deinde in Hispaniam transportatum, ubi in collectione *Libros de Berzosa* appellata, in **Archivo Generali Septimantiae** inter scripta *Secretaria Estado* asservatur⁴⁶³. Ex quo sequitur, ut acta et epistulae nuntiorum apostolicorum in Polonia ubique quaeri et inveniri possint. Habent sua fata libelli.

Collectionibus, quas supra descripsimus, adiungendae sunt forsitan aliae, nondum nobis notae vel minus accessibiles, quae in praesenti investigationum statu non tam facile reperiri possunt (agitur praesertim de reliquis tabulariis gentiliciis nuntiorum). Si autem omnia genera litterarum per singu-

⁴⁵⁹ Ms. 64 f. [1-57], cfr. supra, notam 31.

⁴⁶⁰ Cfr. Kuntze-Nanke BEAI, p. XXV; vide etiam infra, cap. II, p. 144.

⁴⁶¹ Mss. C 110 n. 10 et C 111 n. 1-2; cfr. Nanke, *Sprawozdanie*, p. 16; cfr. etiam infra, cap. II, p. 144.

⁴⁶² AV, *F. Garampi* 151, fasc. H.

⁴⁶³ Cfr. infra, cap. II, p. 138-139.

los legatos ac nuntios in unum colligas, in diversis archivis, quas recensuimus, conservata, luce clarius apparet, quod a maxime disperso litterarum commercio nuntiorum primae partis saeculi XVI usque ad fere completas collectiones litterarum nuntiorum saeculi XVIII constans progressio in iis congregandis et conservandis notatur, praesertim a tempore, quo primum privatae litterarum nuntiorum collectiones post eorum obitum iure spoliis vel dono ad Archivum Vaticanum devolvi coeptae sunt, et deinde a. 1766 lex lata, qua nuntiis epistulas ad nuntiaturam spectantes ex archivio nuntiaturae asportare vetabatur. Accedentibus ad haec aliis vere privatis scriptis (minutis et litterarum commercio cum personis artem diplomaticam non exercentibus), quae in tabulariis gentilicis nuntiorum adhuc retinebantur et nunc in iis reperiri poterunt, dici potest nuntiaturas Camilli Paulucci, Fabricii Serbelloni, Iosephi Garampi et Ioannis Andreae Archetti completam prorsus documentationem futuris earum editoribus offerre.

II

DE ACTORUM NUNTIATURAE POLONAE
EXPLORATIONIBUS, STUDIIS, EDITIONIBUS

I. De studiis Garampianis

Ab ipsis fere primordiis nuntiaturae apostolicae in Polonia in historiam eius pervestigandam ipsi nuntii incumbere coeperant, qui inde a medio saeculo XVI fontes et documenta, ad negotia attinentia, quibus expediendis praedecessores eorum in munere suo obeundo vacare cogebantur, congerere solebant. Nuntii enim provinciam sibi commissam expleturi ex praedecessorum usu et scientia, quam de Polonia eiusque incolis, legibus, institutis acquisiverant, fructum aliquem et utilitatem sibi trahere cupiebant. Hoc modo in relationes finales, de missione in Polonia expleta tractantes, inserebantur quoque notitiae quaedam de praedecessoribus et eorum opera. Brevem descriptionem originum stabilis permanentisque nuntiaturae in Polonia institutae et missionis Aloisii Lippomano (1555-1557) reliquit posteris in sat ampla relatione sua Iulius Ruggieri (1566-1568)¹, eius vero successores relationibus suis ad ipsius narrationem semper novi aliquid et hucusque incogniti addebant eamque locupletabant. Non paucas et pretiosas notitias de eminentiorum nuntiorum opera in Polonia praestita attulerunt illi, qui eorum vitas enarraverunt, praesertim si ipsi eorum missionibus intererant, ut erat Antonius Maria Graziani, vitae Ioannis Francisci Commendone, nuntii a. 1563-1565, scriptor².

Attamen omnia haec opera non erant nisi fontes narrativi ad historiam nuntiaturae Polonae investigandam. Vera autem, ordine rationeque composita ea in re studia, ad normas et praecepta doctrinae aetate nostra vigentia iam quasi accommodata, nonnisi a Iosepho Garampio (1725-1792) incepta erant. Garampius, vir rarae eruditionis, insolita industria, diligentia, sedulitate praeditus, librorum monumentorumque vetustatis ardentissimus amator, Archivi Secreti Vaticani annis 1751-1772 praefectus, nuntius apostolicus Varsaviae (1772-1776), deinde Vindobonae (1776-1785), 14 II 1785 a. cardinalis creatus, auctor fuit non solum celeberrimi illius rerum ecclesiasticarum inventarii, universam christianitatem complectentis, *Schedario Garampi*

¹ Cfr. Rykaczewski, I, p. 190.

² Vide *De vita Joannis Francisci Commendoni Cardinalis libri IV*, Parisiis 1669. Nuntiaturam Poloniam cardinalis describit in libro II, cap. VI-XVII (p. 108-210).

nuncupati (in Archivo Vaticano hucusque asservatur), quod primus quasi gradus erat ad ingentem, ad effectum tamen non adductum, rerum christianarum scientiae orbem, cui *Orbis Christiani*³ nomen dare in animo habuit, sed etiam pariter ad finem non deducti et parum cogniti operis, cui *Prospetto del codice diplomatico di Santa Sede* inscriptum est, quo documenta Sedis Apostolicae, singulas regiones catholicas concernentia, in 43 voluminibus (quorum octavum Poloniam comprehendere debebat) publici iuris facere sibi proposuit⁴.

Is itaque Garampius, statim post suum ad sedem Varsaviensem adventum mense Septembri 1772 a., non solum ad tabularium nuntiaturae ordinandum animum intendit⁵, sed etiam "horis subcisivis" ad historiam eius illustrandam fontes colligere coeperat. Qua in re duplicem sibi finem proposuit:

1) Compilare volebat, ad usum proprium et suorum in officio successorum, repertorium encyclopaedicum praecipuarum cognitionum, ad historiam Poloniae eiusque res ac negotia attinentium, quibus expediendis nuntii missione eorum durante fere quotidie operam navare cogeantur. "Existimavi enim - scribebat - faciliorem expeditioemque Apocrisiariis Pontificiis in Polonia fore rationem Ecclesiae negotia pertractandi, si data opportunitate, praesto iis semper sit rerum praeteritarum accurata notitia"⁶.

Maximam partem documentorum ad huiusmodi opus conscribendum in ipso nuntiaturae tabulario se esse reperturum sperabat. Sed, pro dolor, collectiones commercii epistularum in illo repertarum non nisi ab anno 1760, registra vero actorum tribunalis nuntiaturae et gratiarum a nuntiis concessarum ab anno 1578 incipiebant.

Unicus fons informationis de causis et negotiis, et quomodo illa a decessoribus expedirentur, erat *Vademecum pro nuntiis Galeatii Marescotti*, manu posteriore transcriptum, cum nonnullis additionibus in fine, a nuntiis Nicolao Spinola (1707-1712), Hieronymo Archinto (1720-1721), Camillo Paulucci (1728-1738) et Antonio E. Visconti (1760-1766) factis⁷. Ex hoc ergo opere Garampius excerpta conficere coeperat. Deinde transit ad servatum Antonii Visconti litterarum commercium perquirendum. Denique acta nuntiaturae iudicialia et registra gratiarum atque dispensationum, a decessoribus concessarum, aggressus est. Eodem tempore operam dabat penitus cognoscendis operibus Polonis, praesertim iis, ad quae - cum Latine scripta fuerint - facilis

³ Cfr. I. Ph. Dengel, *Sull'Orbis Christianus di Giuseppe Garampi*, in: *Atti del II Congresso Nazionale di Studi Romani*, T. 2, Roma 1931 p. 497-499.

⁴ Prima adumbratio huiusmodi prospectus servatur in AV, *Nunz. di Polonia* 395, fasc. IV s.f. Apographica collectio bullarum pro Polonia in eo descriptorum invenitur in AV, *Nunz. di Polonia*, Addit. 1, fasc. I-II.

⁵ Cfr. Meysztowicz ANV p. 45.

⁶ Ex dedicatione operis *Index rerum* (vide infra) Pio VI pontifici oblato, AV, *Indice* 190 f. 4 v.

⁷ Ibidem f. 8r. *Vademecum* est hodie in AV manuscriptum nr 1 *Archivi Nuntiaturae Varsaviensis*.

ei patebat aditus, ut erant collectiones legum civilium et ecclesiasticarum (i.a. statuta Ioannis Wężyk), chronicae Galli Anonymi, Martini Cromeri, Reinholdi Heidenstein, Samuelis Nakielski, *Epistolae historico-familiares* Andreae Chrysostomi Załuski et alia. Vehementer animum eius commoverunt *Annales* Ioannis Długossii, a. 1711 Lipsiae editi, ex quibus accurata conficiebat excerpta, admiratus non solum non vulgarem auctoris rerum gestarum cognitionem atque peritiam, sed etiam prorsus novum, pro illa aetate, investigandi modum et rationem, ita ut eum historiae Polonae parentem appellare non dubitaverit ("quem vere parentem historiae Polonicae pronuntiare non dubito"), quem aliae nationes Polonis invidere possint⁸.

Lacunae in documentis a se in Polonia collectis in hunc modum explebat, quod suos olim in Archivo Vaticano collegas operisque socios per litteras sollicitabat, ut fontes a se eis indicatos, praesertim in registris bullarum et in sectione *Nunziatura di Polonia* asservatos, perquirerent et perquisitionis suae fructus sibi transmitterent⁹.

Fontes ad cogitatum opus suum pertinentes Garampius sine intermissione colligere pergebat toto temporis intervallo, quo munere nuntii apostolici in Polonia fungebatur. Quem laborem non intermisit nisi mense Aprili 1776 a., cum ad nuntiaturam Vindobonensem translatus esset. Ob temporis tamen angustiam non potuit conficere excerpta ex omnibus fontibus, ad quos ei Varsaviae patebat aditus. Itaque lectionem librorum gratiarum, qui in nuntiatura conscripti erant, sub anno 1755, librorum vero iudicialium tribunalis nuntiaturae sub anno 1622, *Annalium* Długossii sub anno 1430 interrumpere coactus erat¹⁰. Excerpta ex duobus primis supra nominatis fontibus maximi sane nunc sunt momenti, cum textus originales, ex quibus deprompta erant, superiore saeviente bello a Germanis prorsus deleti sint.

Vindobonae Garampius restitit temptationi, ut similem laborem de nuntiatura quoque penes imperatorem existente in se recipere auderet¹¹. Per duos annos in ordinandum et in nitidiorum formam redigendum suum orbem rerum Polonicarum incubuit ita, ut a. 1778 ad effectum deductum sit opus manuscriptum, in quattuor tomos divisum, cui inscriptum est: *Index rerum*

⁸ AV, *Indice* 190 f. 9r-v. Quam intento studio Garampius incubuerit in cognoscenda opera Polonica sibi aditu facilia, quibus innixus tam partem Polonicam *Orbis Christiani*, quam *Indicem rerum* Polonicarum elaborare instituit, testimonio esse potest eius bibliothecae catalogus, in qua "Historiae Episcopatum Poloniae" et "Historia Poloniae" 172 volumina comprehendebant, praeter permulta opera Polonorum (Hosii, Carnovii, Socolovii et aliorum), quae in aliis bibliothecae sectionibus collocata erant. Cfr. Marianus De Romanis, *Bibliothecae Josephi Garampii Cardinalis catalogus, materialium ordine digestus et notis bibliographicis instructus*, T. 4/1, Romae 1796 nr 9906-9918, 13320-13478. Liber *Annalium* Długossii, "elegans" definitus, valoris 5 ducatorum aestimatus erat (cfr. ibidem nr 13339).

⁹ Cfr. inventarium ("Siglae") fontium et operum in initio *Indicis* positorum (AV, *Indice* 190 f. 12r-18v).

¹⁰ AV, *Indice* 190 f. 10v.

¹¹ Aliquas notas ad legatos et nuntios pontificios in Germania spectantes initio congerere coepit, sed praesto laborem illum intermisit, cfr. AV. F. Garampi 245, fasc. C, D, E, I, H, G.

praecipue ecclesiarum Regni Poloniae, Magni Ducatus Lithuaniae, nec non provinciarum adjacentium, quas Josephus Garampius, Archiepiscopus olim Berytensis et Episcopus Montis Falisci et Corneti, dum in eodem Regno Apostolicae Sedis munere fungeretur, horis subcisivis ex Tabulariis Pontificiis Almae Urbis et Nuntiaturae Polonicae atque ex pluribus scriptoribus excerpit, collegit, alphabetico ordine digessit... atque usui suorum in officio successorum dedicavit. Anno Domini MDCCLXXVI, sedente Ss.mo Domino Nostro Pio VI, Pontifice Maximo, pontificatus sui anno secundo. Manuscriptum hoc, antequam ad nuntium Ioannem Andream Archetti Varsaviam missum esset¹², accuratissime transcriptum, a. 1780 Pio VI pontifici maximo transmissum erat¹³.

Supradictum opus, cuius exemplar summo pontifici dedicatum 2197 constat paginis, testimonio est non solum magnae audaciae et industriae, quibus Garampius illud conficiendum suscepit et susceptum confecit¹⁴, sed miram etiam ostendit auctoris eruditionem et doctrinam, cui, nonnisi "horis subcisivis" laboranti, ita prospere contigit, ut directe ex fontibus, maximam partem archivalibus, totum doctrinae et scientiae orbem, ordine alphabetico digestum, de rebus Polonicis sacris et profanis, in historico contextu consideratis, composuerit. Voces huiusmodi, ut *Comitia, Cracovia, Dissidentes, Scholae, Stanislaus Poniatowski, Synodus* - pro illorum temporum adiunctis - iuxta nostrae quasi aetatis normas et scientiae exigentias elaboratae et redactae esse videntur. Sunt etiam in *Indice* sub suis vocibus breves notitiae de singulis nuntiis, qui sub multis quoque aliis vocibus, non ad personas, sed ad res pertinentibus, nominantur et citantur.

Pretiosior aliis est tamen ipsa vox *Nuntii Apostolici*¹⁵, quam Garampius incipit a definitione nuntii pontificii, addit deinde brevem historiam nuntiaturae Polonae, incipiendo ab illo capitulorum cathedralium postulato, quo canonici Poloni a. 1556 a Paulo IV pontifice postulaverunt, ut stabilem quandam et permanentem missionem pontificiam in Polonia institueret¹⁶; tales praeterea agitat quaestiones, ut sunt historica nuntiaturae evolutio, ordo caerimoniarum, sedes et domicilium nuntii etc. In altera autem eiusdem vocis parte (pp. 1337-1356) accurate et prolixè de eo tractatur, quomodo iura et privilegia nuntiorum apostolicorum in Polonia evolverentur et auferrentur. Breviter affirmari potest hanc vocem totumque *Indicem*, una cum multis notis ad fontes remittentibus, qui vel ab ipsa nuntiatura producti essent vel ad eam attinerent, primam omnino fuisse temptationem, et quidem felicissi-

¹² Hodie in AV (*Archivo Nuntiaturae Varsaviensis*, mss. 2-5) custoditur.

¹³ Nunc in aula consultatoria AV accedi potest, *Indici* 190, 191.

¹⁴ "Animus, quo illud suscepi, audax erat, diligentia assidua". Ex dedicatione ad pontificem, vide AV, *Indice* 190 f. 4v.

¹⁵ *Index* t. 2, p. 1329-1356 (AV, *Indice* 191 f. 96v-110).

¹⁶ Postulatum hoc capitulorum ex manuscriptis, ab Aloisio Lippomano, nuntio a. 1555-1557 relictis, Garampio notum erat. Anno 1864 ab Erasmo Rykaczewski editum (*Relacye* I, p. 48-49). Cfr. App. N. 3, commentarius apud Wojtyńska PP, p. 49.

mam, historiam diplomatices pontificiae in Polonia iuxta scientiae normas et praecepta conscribendi. Carent tunc temporis huiusmodi operibus aliae nationes. Minus enim usae sunt prospera illa fortuna in habendis apud se apostolicis nuntiis - rerum gestarum studiosis, quibus, sicut Garampio, doctrinae cultus et historiae amor pariter ac officia diplomatica cordi essent.

2) Res gestas singulorum nuntiorum in Polonia, ordine chronologico digestas conscribere.

In dedicatione *Indicis* Pio VI a. 1780 scripsit Garampius: "Erit et aliud lucubrationum mearum opus, quo series ac res gestae omnium retro Apocrisiariorum Apostolicae Sedis, qui ab initio religionis christianae in Polonia ad nostram usque aetatem provinciam administrarunt, explicantur; quod nunc secundis curis horis subcisivis recognoscere non praetermitto; atque hoc ipsum novum opus, postquam in nitidiorem formam fuerit redactum, illud etiam Sanctitati Vestrae consecrabo"¹⁷.

Quod opus tunc temporis iam quasi ad finem deductum esse debebat, nam brevissimae voces singulis nuntiis consecratae in *Indice* in calce ad quandam *Synopsim* remittunt, cuius cogitatam inscriptionem invenimus in ingenti et iuxta praecepta fere temporis nostri confecto repertorio bibliographico, in initio *Indicis* posito: *Synopsis Legatorum et Nuntiorum Apostolicorum in Polonia*. Infra autem legitur explicatio: "opus a nobis digestum, et in duo volumina dispertitum, Archivo Nuntiaturae eiusdem consecratum, quo res gestae eorum ab anno 964 ad hodiernum diem describuntur"¹⁸.

At licet Garampius frequentius affirmaverit anno 1780 opus hoc iam fere ad finem perductum et paratum fuisse, nemo tamen ad hodiernum usque diem *Synopsim* istam praesto habuisse videtur. Neque usi sunt illa auctores duorum primorum catalogorum, legatos et nuntios apostolicos in Polonia continentium (errores enim, quibus opera eorum referta sunt, in documentis a Garampio collectis desunt), Sebastianus Ciampi¹⁹ et Alexander Przewdziecki²⁰. Quamquam alter eorum - teste Theodoro Wierzbowski - "ab Archivi Vaticani direttore, ut ipse dicit, quandam seriem nuntiorum" se obtinuisse asserbat, quam etiam in appendice ad suam *Notitiam bibliographicam* (Wiadomość bibliograficzna) publicavit²¹, sed ex textu ipsius Przewdziecki clare patet non de *Synopsi* Garampiana illic agi, sed tantummodo de "inventario rerum Polonicarum", ergo de *Indice*²².

¹⁷ AV, *Indice* 190 f. 6r.

¹⁸ AV, *Indice* 190 f. 17v.

¹⁹ S. Ciampi, *Nunzii, Cardinali Legati et Commissarii Papali ai Re di Polonia ed Ambasciatori di questi ai Papi per affari ecclesiastici*, in Ciampi BC, p. 9-116.

²⁰ A. Przewdziecki, *Spis chronologiczny legatów i nuncyuszów Stolicy Apostolskiej w Polsce* [Index chronologicus legatorum et nuntiorum Sedis Apostolicae in Polonia], in eiusdem: *Wiadomość bibliograficzna*, p. 164-170.

²¹ Wierzbowski SL, p. 7.

²² A. Przewdziecki, *Wiadomość bibliograficzna*, p. 3; in p. 31-36 analytica *Indicis* descriptio.

Auctor vero tertii catalogi nuntiorum apostolicorum in Polonia, Paulus Fabisz, affirmat se eam vidisse inter documenta Nuntiaturae Varsaviensis, quae tunc in sede Nuntiaturae Vindobonensis deposita erant ibique usque ad annum 1859 servabantur. Cuius depositi totam sextam sectionem eam occupasse asserit²³. Ipse tamen Fabisz alio loco aperte profitetur se ad Tabularium illud non omnino admissum fuisse²⁴, errores autem, quos ex Ciampio recepit, testimonio sunt illum *Synopsim* Garampii nunquam in manu habuisse. Attamen si revera opus illud in deposito Vindobonensi, quod a. 1859 Romam translatum est, servatum esset, postea in Archivo imprimis Vaticano quaerendum fuisset. Ita visum est quoque Theodoro Wierzbowski, quarti catalogi nuntiorum apostolicorum in Polonia auctori, qui iam a. 1880, antequam ad Tabularium Vaticanum rerum gestarum studiosis aditus patere coepisset, cardinalem Iosephum Hergenröther, eiusdem Tabularii praefectum, enixe rogabat, ut ad *Synopsim* Garampii accessum sibi permitteret. A quo ei responsum est nihil eiusmodi in sectione Archivi Nuntiaturae Varsaviensis reperiri. Libere tamen uti potuit *Indice*, ex quo noscenda omnia ad legatos medii aevi et nuntios attinentia diligenter excerpserit, quae cum notiis (maximam partem non veris) ex Ciampio, Przedziecki et Fabisz receptis supplevisset, atque documentis veris et probatis, quae in *Monumentis Poloniae Historicis et Veteribus Monumentis Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae*²⁵ publicata erant, locupletasset, suam propriam in lucem edidit *Synopsim*, in duas series, alphabeticam et chronologicam, dispertitam²⁶.

Cum a. 1881 Archivi Vaticani portae viris doctis patefactae essent, *Synopsim* Garampianam assidue quaerebant gestarum rerum studiosi, qui Expeditionibus Romanis Academiae Scientiarum Cracoviensis interfuerunt. Bronislaus Dembiński omnino asseruit "eam in Tabulario non inveniri"²⁷. At Vladislaus Abraham, qui a. 1903 - primus Polonorum - *Fondo Garampi*, nondum in ordinem redactum, perlustrare coeperat, sub numero 31 repperit fasciculum documentorum, quem "illam ipsam *Synopsim* vel documenta ad eam conscribendam collecta" esse agnovit²⁸. Sed neque huic documentorum collectioni ullus rerum gestarum studiosus animum intendit, ne unicus quidem ad illud usque tempus nuntiaturae Garampianae in Polonia explorator, qui erat Matthias Loret. Quod mysterium ad nostros usque dies exspectare debuit, ut tandem explanari posset. Documentis enim in *Fondo Garampi* asservatis et aliis ex eo receptis manuscriptis, nunc in sectione *Nunziatura di*

²³ Fabisz, p. 2 (continet elenchum fontium, quibus usus erat); vide etiam ibidem p. 130.

²⁴ Ibidem, p. 130.

²⁵ Quanti momenti opus hoc ad historiam nuntiaturae Poloniae cognoscendam fuerit, vide infra.

²⁶ T. Wierzbowski, *Synopsis legatorum a latere, legatorum natorum, nuntiorum ordinariorum et extraordinariorum, internuntiorum, delegatorum, commissariorum, collectorum... apostolicorum in Polonia terrisque adiacentibus*, Romae 1880, p. 7.

²⁷ Dembiński, *Sprawozdanie*, p. 45.

²⁸ Abraham, *Sprawozdanie 1899-1913*, p. 21.

Polonia custoditis, accuratius examinatis, tanta apparuit fontium ad Synopsim conscribendam moles, qua innixi temptare possumus singula definire temporis intervalla, quibus opus hoc nascebatur.

Propositum describendi res gestas non solum nuntiorum, sed omnium prorsus Sedis Apostolicae ablegatorum, qui inde a principio usque ad tempora sua in Poloniam mittebantur, factum est a Garampio in ipso initio suae apud nos commorationis, fontes autem ad tale opus conscribendum colligebat simul cum documentis ad parandum *Indicem* destinatis. Consilium vero eius in huiusmodi opus inserendi etiam legatos pontificios, qui medio aevo fuerunt, auctore Dlugossio ortum esse videtur. Quae coniectura ex una parte vel eo comprobatur, quod in eorum enumeratione ad *Annales* illius saepe recurrit²⁹; ex altera autem modo et ratione, qua eos edocebat, qui in colligendis documentis adiutricem ei praestabant operam³⁰. Non contemnendam sane fontium quantitatem, ad totum opus componendum collectorum, reliquit Garampius in permultis schedulis, similibus illis, quae in singulis paginis *Schedarii Garampi* agglutinatae inveniuntur³¹. Ex qua re conicere possumus eum, in ipso *Synopsis* suae elaborandae initio, omnes, quantum fieri potuit, de nuntiis apostolicis in Polonia notitias colligere voluisse, quae in fontibus iam typis editis, Polonicis et exteris, continebantur. Multa itaque confecit excerpta, praesertim ex chronicis Pauli Piasecki et Samuelis Nakielski³², necnon ex operibus Odorici Raynaldi et Ferdinandi Ughelli³³. Peculari auxilio in fontibus colligendis fuit ei Daniel Janocki et Bibliotheca Publica Załuszciana Varsaviensis, cui ille praefectus erat. In qua non pauca repperit magni momenti documenta manu scripta, i.a. adnotationem de constitutionibus synodalibus dioecesis Vilmensis, a nuntio Berardo Bongiovanni (1560-1563) confirmatis³⁴.

Simul cum exploratione fontium iam typis editorum, Garampius accurata

²⁹ Sicut patet ex documentis, quibus ad opus suum conficiendum usus erat, in AV, *Fondo Garampi*, conservatis, (cfr. ms. 31, fasc. I et II, passim). Agitur de opere *Annales Regni Poloniae*, annis 1455-1480 composito, pluries publicato. De prima editione completa Lipsiensi anni 1712 a Garampio usurpata, vide infra, p. 93.

³⁰ Cfr. responsa archivistae Vaticani Callisti Marini, 25 XI et 22 XII 1775 a. data, autographa in AV, *Nunz. di Polonia*, 391, fasc. I s.f.

³¹ Maxima earum pars servatur in 11 involucris (ex quibus unum continet etiam documenta ad historiam primatum Poloniae sicut legatorum "natorum") in AV, *Fondo Garampi*, 192 s.f. (pars invenitur in involucro instructo inscriptione: *Varie notizie per i Nunzi Apostolici in Polonia*).

³² P. Piasecki, *Chronica gestorum in Europa singularium*, Cracoviae 1645; S. Nakielski, *Miechovia seu antiquitates monasterii Miechoviensis*, Cracoviae 1634. Vide AV, *Fondo Garampi*, ms. 31, fasc. IV/1-3 passim. Cfr. M. De Romanis IV/1 nr 13380.

³³ O. Raynaldus, *Annales ecclesiastici ab anno MCXCVIII, ubi desinit Cardinalis Baronius*, T. 1-15, Lucae 1747-1756; F. Ughelli, *Italia sacra sive de episcopis Italiae... opus singulare*, T. 1-10, Venetiis 1717-1722, Vide AV, *Fondo Garampi*, ms. 31, fasc. I-IV passim. Omnes notitiae de missione nuntii Hieronymi Rorario (1539-1540), quae in hoc manuscripto inveniuntur; nituntur opere Salomonis Neugebauer, *Historia rerum Polonicarum* inscripto, edito Francoforti 1611 (ibidem, fasc. IV/1 f. 35r-v). Opus hoc sub aliis etiam vocibus citatur.

³⁴ Vide AV, *Fondo Garampi*, ms. 31, fasc. IV/1 f. 53v.

conficiebat excerpta et summaria ex libris tabularii Nuntiaturae Varsaviensis, et ita eodem tempore colligebat notitias, quibus tam ad *Synopsim* conscribendam quam ad componendum *Indicem* opus habuit. Ad parandam *Synopsim* omnia ea imprimis quaerebat, quae de itineribus nuntiorum, de libris actorum ab illis relictis, de operis eorum sociis et adiutoribus inveniri poterant. De modo et ratione, qua eiusmodi notitias congerere solebat, edocere nos possunt breves elenchi ab eo confecti auditorum (iudicum) tribunalis nuntiaturae³⁵ et cancellariorum seu notariorum, quos singuli nuntii penes se habuerunt³⁶, necnon accuratae descriptiones librorum, qui in tabulario nuntiaturae servabantur³⁷. Talem praesertim laborem, ut ita dicamus "domesticum", nullo temporis momento, ab aliis occupationibus libero, horis, ut ipse dicebat, "subcisivis", intermittebat. Cuius rei testes sunt fortuitae chartulae, in quibus id genus notitias exarabat. Sic ex. gr. adnotatio de actis tribunalis nuntii Claudii Rangoni (1598-1606) et de eius auditore, Scipione Fontana, scripta erat in dorso litterarum secretarii regii, Caietani Ghigiotti, 18 VII 1775 a. datarum, quibus ille nuntium certiozem reddit eum a Stanislao Augusto rege ad prandium invitari³⁸.

Garampius nullam prorsus praetermittebat occasionem res novas, ad scribendum opus suum utiles, adipiscendi. Itaque cum eum per Poloniam iter facere contingeret, non solum consistere solebat, ut vetusta templa aliaque monumenta visitaret, sed etiam ut in sacrariis et plebaniis rariores libros et documenta quaereret ac perlustraret. Excerpta ex eis facta postea in *Synopsim* includebantur. "Apud ecclesiam parochialem Zatoriensem in dioecesi Cracoviensi legi egomet diploma" indulgentiarum nuntii Zachariae Ferreri, die 21 Iunii a. 1521 editum³⁹. Id genus adnotationes in opere Garampii plures inveniri possunt. Res ad historiam nuntiaturae apostolicae in Polonia explorandam quaerebat Garampius adiutoribus etiam nonnullis Polonis. Mense Aprili a. 1774 mandavit patri Aegidio Kowalski, regenti Studii Fratrum Minorum Conventualium Cracoviae, ut exquireret epitaphium nuntii Camilli Mentovato (1558-1559), qui Cracoviae in ecclesia eiusdem ordinis sepultus erat (textum in eius lapide sepulcrali incisum, non sine mendis transcriptum, in *Monumentis Sarmatarum* Simonis Starowolski invenit)⁴⁰, et ut scripta ad illum attinentia in eiusdem conventus tabulario inquireret⁴¹.

³⁵ Cfr. *Nomina auditorum Sacrae Nuntiaturae*, AV, Fondo Garampi 192 s.f. Incipit a Bartholomaeo Melitensi, auditore cardinalis legati, Marci Barbo, ex a. 1472.

³⁶ Cfr. *Catalogus Cancellariorum S. Nuntiaturae Apostolicae*, ibidem 2 folia (s.f.)

³⁷ Vide AV, Fondo Garampi, mss. 31 et 245, passim.

³⁸ AV, Fondo Garampi, ms. 31, fasc. IV/3 f. 51r.

³⁹ Ibidem, fasc. IV/1 f. 25r.

⁴⁰ Ibidem, f. 49r-v. Usus est editione *Monumentorum Cracoviensi* (a. 1655), vide M. De Romanis IV/1 nr. 133667.

⁴¹ In annexo ad responsum patris Kowalski de 30 IV 1774 obtinuit tantum (a guardiano Ioanne Cantio Naroński et custode monasterii Martino Geryng confirmatum) apographon epitaphii et mentionem de aliquot actis iudicialibus Camilli Mentovato. Cfr. autogr. responsi, AV, *Nunz. Polonia* 395, fasc. IV s.f.

Gravissimum tamen onus documenta de nuntiis in Polonia ("sui nunci di Polonia") exquirendi archivistae Vaticano Callisto Marini imposuit, qui non parum insudavit, ut legatorum atque obuli s. Petri collectorum nomina et temporis intervallum, quo in Polonia commorati essent, exquireret. Garampius enim, cum sibi conscius fuerit maximam partem documentorum, tam ad *Indicem* quam *Synopsim* conscribendam utilium, in Tabulario Vaticano asseruari, ab illo postulabat non solum accurata inventaria documentorum in sectione *Nunziatura di Polonia servatorum*⁴² et eorum summaria⁴³, sed mandabat illi etiam, ut notitias de singulis quaestionibus, quae ei cordi erant, ut erant nominationes nuntiorum et eorum facultates, exquireret⁴⁴.

Iam eo ipso tempore, quo colligendis fontibus intentus erat, Garampius cogitati operis sui fragmenta componere coeperat. Pro temptamine huiusmodi compositionis reputari potest *Catalogus nuntiorum apostolicorum in Polonia postea dignitate cardinalitia insignitorum*⁴⁵, necnon simplex elenchus chronologicus adventuum et discessuum singulorum nuntiorum, a nominatione Vincentii Dal Portico (18 II 1568) incipiens, usque ad mensem Septembrem a. 1738 (scil. ad adventum Varsaviam Fabricii Serbelloni)⁴⁶.

Spatium temporis, colligendis fontibus destinatum, clauditur conspicuo novarum notitiarum fasciculo ex Urbe accepto⁴⁷. Quo obtento Garampius ad totum opus componendum animum intendit. Itaque primum conscripta esse videtur illa operis pars, quae manu propria nuntii inscripta est: *Notitia Legatorum, Nuntiorum aliorumque Sedis Apostolicae munere functorum in Regno Poloniae, Magno Ducatu Lituaniae aliisque Provinciis adiacentibus a Josepho Garampio, Archiepiscopo Berytensi itemque Nuntio Apostolico digesta et illustrata A.D. 1775*, prima verba dedicationis successoribus destinatae conti-

⁴² Accurate confectum, ordine chronologico dispositum, *Inventario e nota dei volumi della Nunziatura di Polonia, esistenti nell'Archivio Segreto Vaticano e qui registrati secondo ordine cronologico* (usque ad a. 1740) indicat etiam datum primae et ultimae epistolae in singulis voluminibus occurrentis. Vide AV, *Fondo Garampi*, ms. 250, fasc. J s.f. (2 fasciculi in folio, unusquisque 12 folia continens). Aliud inventarium manuscriptorum nuntiaturae Polonae ex *Nunz. di Polonia* et *Lettere di Principi* servatur in AV, *Fondo Garampi*, ms. 250, fasc. T.

⁴³ Cfr. *Estratti dei volumi di lettere della Nunziatura di Polonia esistenti nell'Archivio Segreto Vaticano dall'anno 1551 al 1592*, AV, *Fondo Garampi*, ms. 242, fasc. A; fasciculus B continet *Copie estratte dai Libri della Collectoria di Polonia*.

⁴⁴ In AV, *Nunz. di Polonia*, ms. 395 (fasc. II, 2) servantur 16 folia eiusmodi inventaria continentia, quae ope brevium ex *Armadio* 42 et 44 confecta sunt. Cfr. etiam supranominatas epistulas Callisti Marini (nota 30).

⁴⁵ *Catalogo dei Nunzi Apostolici in Polonia assunti da 200 anni in poi alla Santa Porpora*; manuscriptum sic inscriptum continebatur in deperdito ex *Fondo Garampi* ms. 115, fasc. F; quod verisimiliter translatus erat ad sectionem *Nunziatura di Polonia*, ubi servatur in codice Addit. 2, fasc. 1 f. 252r-255r inscriptione carens.

⁴⁶ Vide AV, *Nunz. di Polonia*, Addit. 2, fasc. 1 f. 253r-v, 256r-257v, 259r-v (ordo foliorum inversus est).

⁴⁷ Inveniuntur in aliquot fasciculis manuscripti 395 (sine fol.) in sectione *Nunziatura di Polonia* (fasc. II et IV) et communi inscriptione praedita sunt: *Nuova appendice di notizie per i nunzi apostolici. Dicembre 1775*.

nens⁴⁸. In qua i.a. scribit: "opus hoc elaboravi paucis mensibus, qui mihi a morbo et valetudine usque ad meum ex Polonia discessum superfuerunt"⁴⁹. Notum est nobis Garampium, post Comitata Regni Varsaviae celebrata, 12 IV 1775 absoluta, gravi morbo correptum et usque ad medium mensem Maium lecto affixum fuisse, a tertia autem die Iunii valetudinis recuperandae causa in pago Dawidy prope Varsaviam commoratum esse, ubi "notitias historicas ad Poloniam spectantes", id est *Indicem*, scriptori dictaverit⁵⁰. Compositionem *Notitiarum*, id est *Synopsis* postea nuncupatae, nonnisi mense Decembri a. 1775 coepisse potuit, nam in primitivo eius textu iam inveniuntur informationes, ex Urbe eodem mense acceptae⁵¹. Opinari ergo licet primam eius adumbrationem hiberno tempore, anno 1775 exeunte et 1776 ineunte, conscriptam esse.

Quae prima operis adumbratio duobus codicibus manu scriptis in 16° non ligatis constat. Quorum primus, a Vladislao Abraham olim detectus, inscribitur *Elenco de' Nunzi Apostolici in Polonia dal 1046 al 1700*⁵². Cuiusmodi elenchus ex quattuor constat fasciculis (quorum quartus in tres partes, propria foliatione instructas, subdividitur) et insimul 447 folia continet, in quibus singulorum nuntiorum opera ordine chronologico describitur. Unicuique descriptioni principali, una eademque manu exaratae, adiunguntur supplementa, in pluribus chartulis variis manibus scripta. In primo fasciculo continentur documenta ad describendam historiam legatorum S. Sedis in Polonia, qui saec. X-XIII munere suo functi erant, in secundo collecti sunt fontes ad legatos et obuli s. Petri collectores, qui saec. XIV, in tertio ad eos, qui saec. XV fuerunt, pertinentes; quartus autem fasciculus continet notitias de 48 nuntiis et legatis saec. XVI.

Documenta, quae hic desunt, ad res gestas nuntiorum saec. XVII pertinentia, collocata sunt, una cum fontibus ad nuntios saec. XVIII pertinentibus, in alio nonnihil minore et foliatione carente manuscripto, in *Fondo Garampi* sub n. 245 asservato⁵³; illuc enim propterea translata esse videntur, quod totum opus ita cogitatum erat, ut in duas partes fere aequales divideretur. Quantitas et qualitas documentorum hic collectorum varia et impar est. Nam cum fontes ad nuntios saec. XVII attinentes a documentis ad historiam nuntiorum, qui prioribus saeculis vixerunt, revera non multum differunt, illa,

⁴⁸ Garampi incipit manu propria: "Successoribus suis in Apostolicae Sedis munere apud Reges et Regnum Poloniae J[osephus] G[arampius] A[rchiepiscopus] B[erytensis] S[alutem] P[lurimam] D[icit]". Intra inserta sunt quattuor folia cogitatae dedicationis, manu secretarii Garampii scriptae. AV, *Fondo Garampi*, ms. 192 s.f.

⁴⁹ *Ibidem*, s.f.

⁵⁰ "Nella mia convalescenza dettai... notizie istoriche relative alla Polonia", *Diarii di Polonia del 1775 e 1776*, p. 215 (autographum in AV, *Fondo Garampi*, ms. 191).

⁵¹ Cfr. ex. gr. redactiones textuum de Zacharia Ferreri in AV, *Fondo Garampi*, ms. 31, fasc. IV/1 f. 22r-25v ex AV, *Nunz. di Polonia*, ms. 395, fasc. IV s.f.

⁵² AV, *Fondo Garampi*, ms. 31.

⁵³ Fasc. B (una cum documentis ad historiam nuntiaturae penes imperatorem attinentibus).

quae folium, manu Garampii inscriptum: *Nuntii Apostolici saec. XVIII* sequuntur⁵⁴, multo pauperiora sunt et gradatim, ut ad finem vergunt, adhuc deteriora fiunt. Cessant itaque temptamina textum in ordinem aliquem redigendi, quae in vitae narratione ultimi nuntii saec. XVII, Fabricii Paulucci, adhuc aderant; adnotationes reducuntur ad solam descriptionem librorum, a nuntiis in archivo nuntiaturae relictorum, ita ut omnino confirmetur notitia, in *Indice* allata, iuxta quam Garampio, ante ipsius ex Polonia discessum, ad omnia in tabulario nuntiaturae custodita documenta perlustranda atque ea accuratius exploranda defuerit tempus⁵⁵. Haec collectio documentorum concluditur exili informatione de nuntio Angelo Maria Durini (1767-1772), quam nuda sequitur chartula, unum tantummodo continens verbum "Garampi", manu propria Garampii exaratum.

Nuntius Vindobonae nominatus, 16 III 1776 a., fortassis etiam prius, Garampius plane sibi conscius factus est se historiam nuntiorum saec. XVIII scripturum non esse. Tunc etiam decrevisse videtur opus suum anno 1700 concludere, et - certe adhuc ante suam ex Polonia profectionem (Varsavia discessit 6 V 1776 a.)⁵⁶ - textum eius scriptori dictare coeperat. Manuscriptum hoc, in nitidiorem formam redactum, servatur nunc in *Fondo Garampi* sub n. 23. Volumen, 135 fasciculis in folio (440 paginis, quibus adiuncta sunt aliquot folia non numerata) constans, inscriptione, manu propria Garampii exarata, praeditum est: *Primo sbozzo dei Nunzi in Polonia dal 1068 al 1700*. Quae inscriptio postea addita est, cum iam manifesto patuisset illam quoque textus compositionem multis emendationibus ac supplementis indigere. In manuscripto deest introductio. In prima autem pagina primi fasciculi deleta sunt verba: "966. Aegidius, episcopus Tusculanus, Legatus Apostolicus"⁵⁷, quorum loco scriptum est: "Prolegomena. De initiis Christianae religionis in Polonia", deinde sequitur amplior disceptatio de christianitatis in Polonia primordiis, magna in parte Dlugossii *Annalibus* nixa.

Describuntur tandem singulorum nuntiorum vita et res gestae, indicantur tempora eorum in Polonia commorationis et operae, inde a legatione Raphaelis a. 1068 peracta usque ad Fabricium Paulucci, nuntium extraordinarium a. 1698 in Poloniam missum. Vitae nuntiorum (ut legatos et obuli s. Petri collectores, qui medio aevo fuerunt, praetermittamus), ad primas saeculi XVI nuntiaturas quod attinet, non semper cohaerentibus ac compactis notitiis innituntur, et propterea nonnihil confusae esse videntur, postea tamen, cum de nuntiis agitur, qui inde a medio saeculo XVI fuerunt, dilucidae satis et perspicuae apparent. Descriptiones vitae singulorum nuntiorum indicant primum, quo genere et stirpe nuntius natus sit, et quae munera et officia,

⁵⁴ Chartae huius manuscripti foliatione carent.

⁵⁵ Cfr. supra, p. 85.

⁵⁶ Vide I. Ph. Dengel, *Nuntius Joseph Garampi in Preussisch Schlesien und in Sachsen im Jahre 1776. Bericht über seine Reise von Warschau über Breslau nach Dresden*, QFIAB, 5 (1903), p. 233.

⁵⁷ Primam redactionem eius biogrammatiscfr. in AV, *Fondo Garampi*, ms. 31, fasc. I f. 2r.

antequam ad nuntiaturam Polonam destinatus esset, illi commissa fuerint. Deinde adducitur - nota ad registra brevium in Archivo Vaticano asservata remittente confirmatum - certum atque accuratum temporis momentum, quo breve nominationis editum erat. Sequitur descriptio totius operae nuntii, quam toto tempore insumpsit, quo munere suo in Polonia functus est, et praesertim indicatur, quantum ad iura et privilegia Ecclesiae defendenda contulerit. Cui rei amplius illustrandae Garampius, praesertim inde a nuntiatura Ioannis A. Caligarii (1578-1581), ad quam explorandam in tabulario nuntiaturae acta tribunalis et acta gratiosa, quae vocantur, ei praesto fuerunt, maxime incubuit. Interdum enim adducere solet tota documenta ex eiusmodi actis deprompta, imprimis illa, quae ad controversias de iurisdictione spectabant, ut ex. gr. interpellationem, 21 X 1586 a. ab Hieronymo de' Buoi contra propositiones quasdam, quae in nova editione *Constitutionum Synodali*um Stanislai Karnkowski introductae erant, factam⁵⁸. Eiusmodi apographa valde nunc pretiosa sunt, eo vel magis, quod non parva pars librorum, ex quibus descripta erant, omnino perierunt.

Non parum loci a Garampio dedicatur caerimoniarum normis describendis, modo et rationi, qua nuntii laborem suum ordinare solebant, eorum domicilio etc. Nil itaque mirandum vitam Galeatii Marescotti, qui id genus negotiis totum opus dicavit (*Vademecum*), tam copiose et prolixè descriptam esse⁵⁹. Inde a nuntiatura Vincentii Lauro (1574-1578) constanter (non tamen sine exceptione) adferuntur notitiae de auditoribus, cancellariis et secretariis nuntiorum, necnon de registris actorum tribunalis nuntiaturae et imperitionis gratiarum, ab eis confectis. Inopia informationum ad res publicas pertinentium, cuius causa in eo constitit, quod Garampius epistulas nuntiorum ad Secretariatum Status datas ipse in persona inspicere non potuit, eo quoque excusari potest, quod opus ita imprimis cogitatum erat, ut eius in officio successoribus in conficiendis negotiis administrativis, ad iurisdictionem et caerimoniarum ordinem pertinentibus, adiumento atque auxilio esse posset⁶⁰. Propterea, quamquam sub fine singularum vitae descriptionum auctor lectorem saepe edocet, ubi eiusmodi epistulae vel celeres nuntii inveniri possint et quod temporis spatium comprehendant⁶¹, sua tamen magis interesse videtur lectorem ad eas *Indicis* voces remittere, in quibus particularis opera nuntii nominabatur⁶². In hunc modum ambo opera Garampiana se invicem explere debebant.

⁵⁸ *Primo sbozzo*, f. 81ar-br.

⁵⁹ *Ibidem*, f. 113ar-117av.

⁶⁰ Cfr. dedicationem (p.95).

⁶¹ Ad hanc rem usus est supramemorato indice voluminum sectionis AV, *Nunziatura di Polonia* (cfr. supra, notam 42).

⁶² Ex. gr. conclusio biogrammatiss Hannibalis de Capua ita sonat: "Epistolae et acta eius extant in Archivo Vaticano, Lib. 23, 25, 26 usque ad 35 Nuntiaturae Poloniae. Nonnulla eius gesta indicamus in Indice nostro v. Cistercienses, Livonia, Luceoria, Varsavia" etc.. *Primo sbozzo*, f. 84 ar.

Quod ad modum et rationem citandi fontes attinet, qua Garampius in opere suo exarando usus est, eum sane hac in re aetatis nostrae praecursorem appellare possumus. Omnem enim assertionem suam in textu occurrentem corroborat notis, ad fontem manu scriptum vel ad librum, ex quo sumpta erat, remittentibus. In hunc modum facilius aestimari potest, quantopere notitiae ab auctore allatae credibiles sint et in exploratione temporibus nostris peragenda adhiberi queant. Talibus etiam notis explicantur quodammodo errores, praesertim cum de nuntiis agitur, qui prima saeculi XVI parte fuerunt, commissi, nam ad illorum vitas enarrandas Garampius maxima ex parte operibus typis impressis uti coactus erat, quae, ut nobis bene constat, tunc temporis minus accurate ac diligenter in lucem edebantur. Manuscriptis prius confectis cum exemplari in nitidiorem formam redacto comparatis, facile perspicimus singulorum nuntiorum vitas fere immutatas ex illis in *Primo sbozzo* inscriptas esse.

Dedicatio operis successoribus destinata, cuius prima lineamenta separatim servata sunt, nitidiore exemplari iam confecto, scriptori dictata erat⁶³. Quae ita incipit: "Nihil est quod curiositatem nostram magis alliciat et exauiat, quam nomina ac gesta indagare illorum, qui in eadem qua nos vel conditione vel munere antea vixerunt. Illud enim est in huiusmodi cognitione salubre et frugiferum, quod non solum egregia maiorum facta et praeclarae actiones nostros incendunt animos, sed quum exempli documenta in illustri posita monumento intueamur, quod tuto imitemur habeamus". Quocirca, licet multis oneratus negotiis, Garampius documenta ad praedecessores suos pertinentia colligere coeperat eo, ut quod ipse didicerit, aliis communicaret ("quod sine fictione didici, sine invidia communico"). Gratiarum actiones non exspectabat. "Id enim unice spectarunt consilia mea, ut nimirum prodessem successoribus meis, iisque veluti fax quaedam in tractandis S. Sedis negotiis praeluceret... ad maiorem Dei gloriam, ad S. Apostolicae Sedis et Ecclesiae tranquillitatem, non minus quam ad commodum inclitae huius Nationis"⁶⁴.

In calce dedicationis Garampius scribit se successoribus suis opus imperfectum relinquere et rogat, "ut illud non in meliorem tantum formam, sed in uberiorem ac perfectiorem statum novis curis ac studiis reducant"⁶⁵. Quod ante suum ex Polonia discessum auctor successori suo, Ioanni A. Archetti (1776-1784), illud tantummodo exemplar, in nitidiorem formam redactum et fronte adhuc non instructum, tradere in animo habuit, inventario illius tabularii nuntiaturae partis comprobatur, in qua scripta ab Antonio E. Visconti (1760-1767) et ipso Garampio relicta servabantur. In huiusmodi enim inventario, quod Garampius una cum munere successori suo tradidit, sub n. 1 indicatur *Vademecum* Galeatii Marescotti, sub n. 2 unum volumen operis, iam

⁶³ Vide supra, p. 91-92.

⁶⁴ AV, *Fondo Garampi*, ms. 192 s.f.

⁶⁵ *Ibidem*, s.f.

Synopsis seu historiae Apocrisiariorum Apostolicorum in Polonia nuncupati, sub 3 et 4 duo volumina *Indicis*. Subtus vero legitur adnotatio, quae de posteriore utriusque operis Garampiani fortuna nos edocet: "La Sinopsi e l'Indice, non essendosi potuti mettere in pulito prima della partenza di Mons. Garampi, si manderanno inappresso da Vienna"⁶⁶. Ambo itaque opera una cum auctore Vindobonam profecta sunt. *Index* in 4 voluminibus descriptus, a. 1778 rediit Varsaviam, *Synopsis* fortassis nunquam.

Vindobonae Garampius sibi omnino conscius fuit, quantis vitiis *Synopsis* sua laboraverit, et statim eam corrigere atque explorare coeperat. Cuius rei testes sunt - praesertim ad primos nuntios saec. XVI quod attinet - manu propria auctoris factae emendationes, novae schedulae, necnon aliquot epistulae novas notitias continentes, inter operis folia insertae vel separatim custoditae. Illae imprimis epistulae, ad eos datae, qui novam aliquam notitiam vel indicium ei porrigere potuerint, testimonium sunt admirabilis sane studii, curae, diligentiae, quam Garampius in indagine sua perficienda impendere voluit. Iam supra memoratus Callistus Marini a. adhuc 1780 ad eum scribebat: "da che sono tornato all'archivio, posso dire con verità di non esser quasi fatto altro che scorrere i tomi de'carteggi della Legazione Polacca del Commendone [1572-1573] per ritrovare quelle notizie ch'ella desidera". Idem Marini, cum eius legationis descriptionem iam Vindobonam misisset⁶⁷, similem indaginem, ad nuntiaturas quoque Hieronymi de' Buoi, Francisci Simonetta, Ioannis Lancellotti et Antonii Santacroce pertinentem, in sectione *Nunziatura di Polonia* perficere debuit⁶⁸.

Novi fontes non solum in Tabulario Vaticano mandato Garampii quaerebantur. Inter chartas post nuntium relictas servata est i.a., a quodam ignoto ei transmissa, accurata descriptio epistularum commercii, in 6 voluminibus collecti, nuntii Angeli Ranuzzi (1671-1673), quod tum in bibliotheca Ranutorum Bononiae servabatur⁶⁹. Non paucas novas notitias de nuntiis Zacharia Ferreri, Ioanne Tedaldi, Nicolao Fabri, Hieronymo Rorario et praesertim Hieronymo Martinengo 17 V 1777 a. quidam Ioannes V. Garampio ex oppido Brixia transmisit⁷⁰. Obscuram hucusque vitam Iulii Ruggieri quidam Trombelli rogatu Garampii illuminare conatus est⁷¹. "Nel libro dell'Amideno non

⁶⁶ Cfr. *Elenco di Protocolli ne'quali sono state riunite, disposte e legate da Mons. Garampi le Carte, Memorie e Lettere lasciate tanto da lui, quanto dall'Eminentissimo Visconti nella Segreteria della Nunziatura di Polonia* (AV, Fondo Garampi, ms. 12, fasc. C, s.f.). Notandum est nunc collectionem Archivi Nuntiaturae Varsaviensis, tunc a Garampio ordinatam, etiam ab opere Galeatii Marescotti incipere, quam directe sequuntur; sicut mss. 2-5, quattuor volumina *Indicis*; ms. n. 6 continet praecepta (normas) ordinis caerimoniarum et elenchos praerogativarum nuntiorum. Cfr. supra, cap. I, p. 48.

⁶⁷ Epistula autographa de 30 V 1780 servatur in *Fondo Garampi*, ms. 192, s.f.

⁶⁸ Epistula de 5 VII 1780. Ibidem, s.f.

⁶⁹ Servatur, sicut folium liberum, in AV, *Fondo Garampi*, ms. 192, s.f.

⁷⁰ Cfr. eius responsionem in AV, *Fondo Garampi*, ms. 192, s.f.

⁷¹ Cfr. eius epistolam de 21 V 1777, a Garampio in fasciculo descriptionem vitae Iulii Ruggieri continente positam, in *Primo sbozzo*, post f. 86a.

si parla di altri nunzi di Polonia che di Ippolito Aldobrandini e di Cosimo de Torres" - alius ignotus Garampio rescribat et nonnulla de iisdem nuntiis ex libro illo exscripta simul communicabat⁷². Diligentia Garampii atque industria tanta fuit, ut cum cognovisset nuntium Albertum Bolognetti a. 1585 in itinere suo ex Polonia in Italiam Tarvisii in confinibus Italiae diem suum obivisse, a dioecesis Goritiensis vicario de sepulcro eius sciscitaretur⁷³. Interrogabatur etiam a Garampio rector atque reformator Academiae Cracoviensis, Hugo Kołłątaj, qui pro responso 6 VIII 1778 a. misit ei amplum repertorium documentorum, quae in Bibliotheca Iagellonica servabantur et tam ad *Indicem* quam *Synopsim* elaborandam utilia esse poterant⁷⁴.

Ex litteris a Garampio illo tempore datis atque acceptis manifesto patet, illum praecipue annis 1777-1780 ad explendam atque perficiendam *Synopsim* omnem operam et studium contulisse. Eisdem quoque annis nitidior *Indicis* textus Vindobonae parabatur. Quo ad finem perducto, Garampius perficiendo operi nuntiis in Polonia dedicato verisimiliter renuntiavit⁷⁵. Nam ne minimum quidem exstat vestigium supra memoratas notitias cum textu *Primo sbozzo* nuncupato copulandi. Qui igitur pro ultimo, licet non perfecto nec completo, textu arcanae *Synopsis* Garampianae reputandus esse videtur. Quo accurate diligenterque examinato certo nobis persuademus illud, si completum, perfectum, noviter transcriptum ac rerum gestarum studiosis oblatum esset, pro aetate illa, vere eximium existimari posse, tot notitiis veris et probatis refertum et documentis comprobatum, ut fortassis nostris nonnisi temporibus aliquid perfectius scribere audeamus. Cuius rei optime sibi conscius fuisse videtur Hugo Kołłątaj, cum requisitam informationem ei transmittens scriberet: "Honori mihi est gratias tibi agere nomine nationis meae, propter cuius gloriam Excellentia Tua tam arduum laborem suscipere voluit, quo nomen immortale atque gratitudinem, in teneris concivium meorum cordibus nunquam exstinguendam, certo sibi comparabit"⁷⁶.

⁷² Epistula autographa sine subscriptione, 29 IV 1777 data, servatur in *Primo sbozzo*, post f. 84a. Agitur fortassis de libro non edito Theodorici Ameyden inscripto: *Elogia Summorum Pontificum et Cardinalium*. Desunt enim illorum nuntiorum mentiones in alio libro eius auctoris, publici iuris facto, quod inscribitur *La storia delle famiglie Romane* (reeditio photographica T. 1-2, Roma 1987).

⁷³ Cfr. responsonem de 9 VI 1777, autographum in *Primo sbozzo*, post f. 78a.

⁷⁴ Responso autographa H. Kołłątaj, una cum annexo elencho documentorum, servatur in AV, *Fondo Garampi*, ms. 192, s.f.

⁷⁵ Eodem tempore coepert colligere documenta ad *Serie dei Legati e Nuntii Apostolici nel Regno e Stati ereditari Austriaci*. Collecta tamen documenta et temptamina eorum elaborationis (a s. Bonifacio ad annum circiter 900), cum Polonis comparata, tam incompleta sunt, ut concipiendum sit auctorem mox huiusmodi consilio renuntiasse.

⁷⁶ "Ho l'onore di ringraziarla a nome della mia Nazione, per la di cui gloria V.ra Eccellenza a [sic] voluto incaricarsi di sì difficil lavoro, il quale recherà un nome immortale ed una riconoscenza che non si spegnerà mai ne' sensibili cuori de miei Patriotti", AV, *F. Garampi*, ms. 192, s.f.

2. A Garampio usque ad Archivi Secreti Vaticani apertionem

Ad historiam studiorum super hereditate a nuntiis apostolicis in Polonia relicta investigandam magni sane sunt momenti opera illius, qui postea partem Tabularii Nuntiaturae Varsaviensis servavit, Ioannis Baptistae Albertrandi (1731-1808). Qui annis 1777-1778 et 1782-1783 mandato prius regis Stanislai Augusti et deinde eximii illius historiae patriae scriptoris, Adami Naruszewicz, perquirendis et explorandis rerum Polonicarum monumentis, in Italia variis locis sparsis, operam navavit⁷⁷. Cuius tamen non tam ipsius nuntiaturae historiam cognoscere, sicuti Garampii, intererat, quam potius fontes congerere ad res gestas Polonorum indagandas, qui i.a. a nuntiis etiam pontificiis apud nos munere functis creati et relicti erant. Quamobrem cum Romae esset, ad Archivi Vaticani collectiones accedere omni studio nitebatur. Ad quas tamen non erat admissus. Animum itaque intendit accuratius perquirendis fontibus, qui in Bibliotheca Vaticana servabantur⁷⁸, ubi inter veterrimos codices Vaticanos Latinos repperit fragmenta epistularum commercii, quod inter nuntium Berardum Bongiovanni et cardinalem Ioannem Morone annis 1560-1563 intercessit⁷⁹. E codicibus Ottobonianis i.a. descripsit instructiones Hieronymo Rorario a. 1539 et Hieronymo Martinengo a. 1548 datas, necnon nonnullas alias instructiones et commercia litterarum aliquot nuntiorum posteriorum⁸⁰. Ex documentis inter codices Urbinates reperlis omnium longe pretiosissimum est apographon relationis nuntii Germanici Malaspina, a. 1600 exaratum⁸¹.

Multa instructionum ac relationum apographa et non parum litterarum commercii Albertrandi etiam invenit in privatis adhuc illo tempore bibliothecis Romanis: principum Chigi (i.a. documenta legationis cardinalis Caetani annis 1596/7 peractae) et Barberini (apographa epistularum Aloisii Lippomano annis 1556/7 datarum)⁸². Inter tot instructiones et relationes, quas in bibliotheca Corsiniorum repperit, animum eius maxime perculisse videtur

⁷⁷ Cfr. A. Schletz, *Ks. Jan Albertrandi w latach 1731-1795* [Sacerdos Ioannes Albertrandi annis 1731-1795], "Nasza Przeszłość", 10 (1959), p. 201-204 (nota auctori est tantum exploratio annis 1782-1783 peracta). Relationem autem manu propria scriptam (*Compte rendu des Commissions dont Sa Majesté m'a daigné honorer*) ex annis 1777-1778 Albertrandius Stanislao Augusto Roma 28 III 1778 misit; servatur nunc Cracoviae in Bibl. Czartorysciana ms. BCz 782, p. 741-764.

⁷⁸ Cfr. *Extrait de mon répertoire de la Bibliothèque Vaticane, contenant les principaux articles directement relatifs à la Pologne*, relationi ex a. 1778 annexum (BCz 782, p. 749-755). Ibidem (p. 745) scribit, quomodo frustra niteretur, ut cardinalis Alexandri Albani et Iosephi Garampi, tunc nuntii Vindobonensis, auxilio facultatem obtineret in Archivo Vaticano explorandi.

⁷⁹ BV, *Vat.Lat.* 6409-6436.

⁸⁰ BV, *Ottob.Lat.* 2206 (Instructio pro Hieronymo Rorario), 2716 (Instructio pro Hieronymo Martinengo), 3220, 3227, 3252-3257 (instructiones posteriores).

⁸¹ BV, *Urb.Lat.* 837.

⁸² In relatione de investigationibus suis, in utraque hac bibliotheca factis (vide infra, p. 100), Albertrandi antiquissima utitur singulorum codicum numeratione. Quamobrem recognitio manuseriptorum ab illo in Bibliotheca Chisiana reperitorum difficilior efficitur et accuratior inquisitione indiget.

opus *Raguaglio delle cose di Polonia* inscriptum, postea sub titulo *Vademecum pro nuntiis* magis notum, a. 1670 a Galeatio Marescotti conscriptum, necnon fragmenta commercii epistularum Secretariatus Status cum nuntiis in Polonia, ineunte saeculo XVIII datarum⁸³. Omnino autem periisse videtur, vel saltem aetate nostra accessu difficillimum est, similis generis commercium epistularum, et quidem originalium, cum nuntiis apostolicis, qui penes aulam Michaelis Coributi Wiśniowiecki Poloniae regis (1668-1673) munere suo fungebantur (Marescotti, Nerli, Ranuzzi), quod Albertrandium in bibliotheca familiae Altieri vidisse constat⁸⁴. Facta deinde accuratiore investigatione in bibliotheca Romana Congregationis Oratorii (vulgo Vallicelliana nuncupata), detexit inter alia instructiones pro nuntiis Mario Filonardi (1635-1643) et Ioanne de Torres (1645-1652)⁸⁵. Extra Urbem autem Albertrandi nonnisi Genuae⁸⁶ et Neapoli investigandis fontibus ad historiam Polonam attinentibus operam dabat. Itaque ipse primus animadvertit, et aliorum quoque attentionem in eam convertit, pretiosissimam collectionem epistularum commercii Hannibalis de Capua, annis 1586-1591 in Polonia nuntii, quod tum in monasterio Sancti Angeli "ad Nidum" (vel rectius "Nilum") Neapoli servabatur⁸⁷. Neapoli etiam invenit codices epistularum Camilli Mentovato (1558-1559) et Iacobi Cantelmi (1687-1689), in tabulario Theatinorum custoditos. Alterum eorum, obtenta - "non sine maximis difficultatibus" - potestate eum describendi, in extenso descripsit ultimis mensibus anni 1782⁸⁸.

Ex itinere illo Italico Albertrandi secum attulit Varsaviam 101 thecas, apographis, adnotationibus et notis archivalibus refertas, quibus postea

⁸³ Cfr. infra, cap. I, p. 65. Apographon eiusdem *Raguaglio* ex pulchro codice Corsiniano 474 factum hodie in Bibl. Czartorysciana servatur, vide ms. BCz 1592, p. 11-121.

⁸⁴ Ad Bibliothecam Altieri-Pasolini Romae, quae veteris Bibliothecae Altieri partem continere fertur (vide *Annuario delle biblioteche italiane*, T. 4, Roma 1976, p. 2), aditus viris doctis hodie est praeclusus. Attamen conservata est, a Ioanne Albertrandi ex ista bibliotheca descripta, relatio finalis Francisci Nerli, quae inscribitur: *Relazione fatta alla Santità di Nostro Signore Papa Clemente X dall'arcivescovo di Firenze dello stato et affari attinenti al ministero del nunzio apostolico nel regno di Polonia nel ritorno che fece in Roma da quella nunziatura e della nunziatura straordinaria di Germania nell'anno 1671* (Cracoviae, BCz 1592, p. 123-131).

⁸⁵ Cod. N. 35 f. 334r-340v. Non animadvertit tamen in eodem manuscripto etiam epistulare commercium Germanici Malaspina inveniri (etiam ms. N. 34).

⁸⁶ Ibi, in bibliotheca familiae Fieschi di Lavagna (quae antea fuit Hieronymi Lagomarsini SJ, editoris epistularum Iulii Poggiani, ab A.M. Graziani collectarum), invenit nonnihil litterarum commercii Ioannis Fr. Commendone et Antonii M. Graziani, necnon instructionem pro Iulio Ruggieri, mense Martio a. 1566 ei datam.

⁸⁷ Bibliotheca familiae Brancaccio, ad quam inde ab a. 1690 rerum gestarum studiosis aditus patet. Apographa trium in illa repertarum et descriptarum epistularum Hannibalis de Capua nunc in Bibl. Czartorysciana Cracoviae servantur, ms. BCz 1585, p. 499-503. Cfr. Woś AC, p. 10.

⁸⁸ Apographon, inscriptum *Litterae Cantelmi, Nuntii in Polonia, dein S.R.E. Cardinalis*, servatur Cracoviae, BCz 182, p. 321-424, annotatione autographa ipsius Albertrandi praeditum: "obtenta potestate, non sine maximis difficultatibus, describendi hunc codicem, extantem in Archivo Domus SS. Apostolorum Clericorum Regularium Theatinorum Neapoli, descripsi illum Anno 1782, mensibus anni tribus postremis. J. Albertrandi".

Thecis Albertrandianis (*Teki Albertrandiego*) nomen inditum est. "Quae omnia documenta, ab indefesso Albertrandio in Italia collecta, maximam partem manu eius propria descripta"⁸⁹, post eius in patriam reditum Adamo Naruszewicz tradita erant, qui illa posthac, una cum aliis a se collectis fontibus, bibliothecae regiae Stanislai Augusti dono dedit. Huiusmodi documenta tunc temporis nondum ordinata et recensita, neque in inventario scripta erant, et nonnisi a. 1797 (post tertiam Poloniae divisionem et regis abdicacionem), cum omnes *Thecae Naruszewiczianae* Thaddaeo Czacki a rege traditae essent⁹⁰, Albertrandi, ad usum illius novi documentorum a se collectorum possessoris, accuratissimum repertorium omnium a se in Italia perquisitorum archivorum et omnium in eis inventorum, ad Poloniam attentium, conficiendum curavit. Hoc amplum repertorium, cui *Itineri Italico anno 1800 exarato* nomen datum erat, testimonium est non solum ingentis sane diligentiae et laboris in perlustrandis tabulariis Italicis ab Albertrandio impensi, sed id quoque probare videtur saltem dimidiam partem documentorum, quae tunc reperta erant, in cancellariis nuntiorum creatam vel conservatam fuisse⁹¹. Eorum apographa, quae in copiosissima bibliotheca Czackiana in Krzemieniec servabantur, a. 1819, una cum tota bibliotheca, principibus Czartoryski cesserunt, qui illa Pulaviis deponenda curarunt. Lutetiam Parisiorum deinde translata, ibi, cum a. 1865 bibliotheca ordinaretur, non pauca eorum defuisse animadversa sunt⁹². Illa vero, quae relicta erant, ad arbitrium dispertita et variis *Thecarum Naruszewiczianarum* codicibus aliisque manuscriptorum collectionibus sunt inserta. Hodie reliquias eorum in Bibliotheca Czartorysciana Cracoviae reperire possumus.

Providentia Dei factum est, ut minima tantummodo pars documentorum ab Albertrandio collectorum, ad historiam nuntiatorum Polonae pertinentium, non typis impressa sit, ut sunt 2 relationes a nuntio Francisco Nerli annis 1670 et 1671 scriptae⁹³ et Diarium legationis in Poloniam cardinalis Caetani a. 1596 peractae, a I. P. Mucante exaratum (*Dyaryusz legacyi do Polski kard. Gaetani 1596 przez P. Mukantego*)⁹⁴. Aliorum documentorum editionem, sed pro dolor, in versione Polonica faciendam, Iulianus Ursinus Niemcewicz, poeta et principum Czartoryski secretarius, primus in se recepit. Itaque annis 1822-1833 in opere suo *Veteris Poloniae monumenta historica in unum digesta*

⁸⁹ E. Rykaczewski, in introductione ad *Relacye nuncyuszów*, p. IV.

⁹⁰ Vide J. Korzeniowski, *Catalogus* t.1, p. 3.

⁹¹ Autographum *Itineris* servatur nunc Cracoviae in Bibl. Czartorysciana ms. BCz 2418. Constat 226 paginis in folio et continet etiam relationes de inquisitionibus ab Albertrandio postea in Suetia factis. Aliquot annotationes ad parandum illud inveniuntur in ms. BCz 782, p. 749-764.

⁹² Korzeniowski, *Catalogus*, p. 3; cfr. supra, cap. I p. 78-79.

⁹³ Vide supra, notam 84. Altera relatio continetur in eodem codice in p. 139-155.

⁹⁴ Manuscriptum hoc, nunc deperditum, servabatur olim in Bibl. Czartorysciana, ms. BCz 1343 (vide S. Kutrzeba, *Catalogus codicum manu scriptorum Musei Principum Czartoryski Cracoviensis*, T. 2, Cracoviae 1909 p. 176). Cum accessus ad eum sit impossibilis, difficile est pro certo affirmare eum ad Albertrandium pertinuisse. Fragmentum eius typis edidit Rykaczewski (*Relacye nuncyuszów* II, p. 66-74).

(*Zbiór pamiętników historycznych o dawnej Polsce*) i.a. publici iuris fecit fragmenta relationum Iulii Ruggieri a. 1568 et Galeatii Marescotti a. 1670 scriptarum, excerpta ex diario Ioannis Pauli Mucante et ex epistulis Francisci Buonvisi annis 1672-1683 datis, necnon *Descriptionem Poloniae* Aloisii Lipomano, "a sanctae memoriae Albertrandio ex Codice Vaticano inter Ottobonianos (2433 p. 172)... depromptam, a I. P. Żukowski, Universitatis Vilnensis professore, mihi transmissam"⁹⁵.

Sat amplam selectionem documentorum, a se antea collectorum, cui titulus est *Extraits de la bibliothèque du Vatican, contenant les manuscrits qui regardent l'histoire de Russie depuis l'an 1075 jusqu'à l'an 1672*, ipse Albertrandio manu sua anno 1790 pro rege Stanislaio Augusto confecit. Codex ille, 1076 paginis constans⁹⁶, dono postea datus erat a rege I. I. Bulgakov, Russorum Varsoviae tunc legato, a quo deinde in manus Alexandri Ivanovič Turgenew, consilarii imperatoris Russiae, pervenit, qui a. 1841-1842 ex toto eum in suis *Historicis Russiae Monumentis* typis mandandum curavit. Ita factum est, ut etiam non pauca nuntiorum documenta, ab Albertrandio collecta, in hac Russica editione inserta inveniantur⁹⁷.

Partem documentorum maxime inter se cohaerentium, in Thecis Albertrandianis collectorum, efficiebant apographa ex copiaro epistularum nuntii Ioannis Francisci Commendone ad card. Carolum Borromaeum annis 1563-1565 datarum, ex "manuscripto Barberiniano" iam diebus 2-30 X 1779 a. ab Albertrandio exscripta⁹⁸. In idioma Polonicum (non semper accurate) a Iosepho Krzeczowski conversa, a Nicolao Malinowski, brevi vitae nuntii descriptione praemissa, a. 1847-1851 publici iuris facta sunt⁹⁹. Anno 1864 in lucem prodiiit collectionum Albertrandianarum pars omnium pretiosissima, relationes scilicet nuntiorum apostolicorum ab anno 1548 ad annum usque 1690 (*Relacye nuncyuszów apostolskich i innych osób o Polsce od 1548 do 1690*) comprehendens. Quae editio, ab Erasmo Rykaczewski parata et parco, Ecclesiae hostili commentario instructa, ad hodiernum usque diem una ex pretiosioribus maximique momenti collectionibus documentorum nuntiaturae Poloniae existimari potest. Incipit instructione Hieronymo Martinengo a. 1548 data¹⁰⁰.

⁹⁵ Utor editione recentiore curata a Ioanne Nepomuceno Bobrowicz, T. 1, Lipsiae 1838 p. 45-84, 141-182; T. 2, Lipsiae 1838 p. 97-150; T. 3, Lipsiae 1839 p. 1-14; T. 4, Lipsiae 1839 p. 65-67, 231-235, 242-253.

⁹⁶ Hodie invenitur in Bibl. Czartorysciana Cracoviae, ms. 1585. Est verisimiliter apographon illius, quem rex postea Bulgacovio donavit.

⁹⁷ Ex. gr. instructio a Sigismundo I rege Poloniae nuntio Ioanni Francisco Cito, mandato Clementis VII a. 1526 in Moscoviam proficiscenti data, quam Turgenew in primo volumine p. 133-134 publicavit (cfr. BCz 1585 p. 121-125).

⁹⁸ Nunc BV, *Barb.Lat.* 5798. Apographon huius codicis, ab Albertrandio confectum, 324 paginis constans, possidetur hodie ab Alexandro Janta Połczyński (cfr. eiusdem *Przyjemnie zapoznać*, p. 237).

⁹⁹ *Pamiętniki o dawnej Polsce z czasów Zygmunta Augusta, obejmujące listy J. F. Commendoni do św. Karola Boromeusza* [Monumenta veteris Poloniae Sigismundo Augusto rege epistulas I. F. Commendoni ad s. Carolum Borromaeum continentia], T. 1-2, Vilno 1847-1851.

¹⁰⁰ Rykaczewski I, p. 1-3; cfr. supra, p. 98.

Deinde editor "porrigit lectoribus eorumque subiicit iudicio edita a se documenta, Latina in lingua originali relictā, Italica vero in Polonicum sermonem conversa", i. a. litterarum commercium Aloisii Lippomano annos 1556-1557, Camilli Mentovato 1558-1559 et Iacobi Cantelmo 1687-1689 complectens¹⁰¹, necnon non paucas relationes ab Albertrandio collectas, quas satis libere in linguam Polonicam transtulit. Hoc itaque Erasmi Rykaczewski opus, duobus constans voluminibus, editionem fontium, exeunte adhuc saeculo XVIII ab Albertrandio collectorum, quodammodo claudit. Quae cum hodie maximam partem in Bibliotheca Czartorysciana Cracoviae non reperiantur, facile conici potest eos ad proprietarios suos nunquam revertisse.

Copiosissimis principum Czartoryski collectionibus, antequam Pulaviis Lutetiam Parisiorum translatae essent, usus est Sebastianus Ciampi Pistoriensis (1769-1847), annis 1818-1822 in Universitate Varsaviensi litterarum antiquarum professor, de inquirendis vinculis et rationibus, inter Italiam et Poloniam intercedentibus, praesertim ad studia litterarum quod attinet, optime meritus¹⁰². Qui tamen in paranda sua *Bibliographia critica* "nuntiorum, cardinalium legatorum et commissariorum pontificiorum penes reges Poloniae existentium"¹⁰³ non solum apographis Albertrandianis nixus est¹⁰⁴, sed etiam documentis, Varsaviae in Bibliotheca Załusiana asservatis, necnon excerptis, quae ex operibus Polonicis typis editis ipse confecit. Itaque ex gr. primus evulgavit notitiam de duobus opusculis nuntii Zachariae Ferreri, cuius vitam S. Casimiri et orationem ad regem Sigismundum I habitam, a. 1521 Cracoviae apud Hallerum editas, in bibliotheca Universitatis Varsaviensis repperit¹⁰⁵. Invenit tamen et evulgavit non paucas notitias non veras, ex gr. de nuntiatura a. 1521 Ioannis de Medicis "delle Bande Nere" (quam ex Martini Bielski chronica recepit)¹⁰⁶, vel de Camillo Mentovato iam a. 1553 in Poloniam misso (ex *Monumentis Starowolscii*)¹⁰⁷.

Industriae et perspicacitatis Sebastiani Ciampi, qua in pervestigandis fontibus utebatur, fructum existimare possumus non parvi momenti notitiam de vicissitudinibus hodie iam deperditi epistularum commercii, inter nuntios, qui Stanislao Augusto rege in Polonia munere suo functi sunt, et aulam

¹⁰¹ Cfr. supra, p. 99.

¹⁰² Cfr. H. Barycz, *Ciampi Sebastian*, PSB IV p. 15-17.

¹⁰³ Cfr. supra, notam 19.

¹⁰⁴ T. Wierzbowski dubitavit, an Ciampio *Thecae Albertrandianae* notae fuerint (cfr. D. Caccamo, *Ciampi Sebastiano*, DBI XXV p. 132). Cum in eius *Bibliografia critica* notae ad singula volumina bibliothecae Czartoryscianae Pulaviensis remittentes omnino desint, dubium hoc eius confirmari non potest, sed ex nonnullis vocibus ad singulos nuntios pertinentibus conicere possumus ipsum tamen eas prae manu habuisse.

¹⁰⁵ Ciampi BC I, p. 106. *Vita Beati Casimiri et Oratio [...] habita Thorunii in Prussia ad Ser. mum Regem Poloniae Sigismundum* iam Garampio notae erant (vide AV, F. Garampi 31, fasc. IV/1 f. 22r-25v).

¹⁰⁶ Ciampi BC II, p. 25. Cfr. *Kronika Marcina Bielskiego* [Chronica Martini Bielski], Warszawa 1764 p. 492.

¹⁰⁷ Ciampi BC I, p. 169. Cfr. supra, p. 90.

regiam intercedentis. Ciampi enim ultimum cancellariae regiae Sectionis Italicae praefectum, Fridericum Bacciarelli, rogavit, ut notitiam aliquam de eiusmodi litterarum commercio sibi traderet. Qui et tradidit ei scriptum inventarium in 38 thecis contentorum documentorum, ad varias pactiones inter regnum Poloniae et Sedem Apostolicam attinentium, inter quae 7 supranominatas thecas, continentes epistularum commercium aulae regiae cum nuntiis apostolicis annorum 1760-1794 et unum volumen epistularum commercii sui in officio praedecessoris (ad a. 1788), Caietani Ghigiotti¹⁰⁸, qui - Ciampio teste - omnia illa scripta pro 1800 florenis Bacciarello vendidit, "que ce dernier a considérablement augmentées et offertes en 1816 à Sa Majesté l'Empereur de toutes les Russies"¹⁰⁹. Revera res aliquantulum aliter se habuit quam eam Bacciarelli Ciampio rettulit¹¹⁰, verum iste notitiam hanc alicuius pretii esse agnovit et eam in appendice sui nuntiorum catalogi in extenso typis edendam curavit¹¹¹.

Post suum in Italiam reditum Ciampi investigationem fontium ad historiam vinculorum, quae Italiam et Poloniam decursu temporum in colendis litterarum studiis coniungebant, non intermisit, sed eam Romae et Florentiae perrexit. Ad historiam nuntiatorum quod attinet, aliquot satis pretiosa elementa detexit, i.a. non parvi momenti documenta ad legationem Hieronymi Martinengo a. 1548 peractam, ex bibliotheca Magliabecchiana Florentiae exscripta¹¹², et mentionem legationis Alexandri Komulović, "Ecclesiae S. Hieronymi Romae archipresbyteri, ad Theodorum Magnum Ducem Moscoviae ablegati, ut illum ad bellum adversus Turcam movendum adduceret". Notitiam de hoc minus noto nuntio extraordinario Ciampi recepit ex instructione Clementis VIII, in quodam non melius a se descripto manuscripto, in bibliotheca Barberiniana Romae conservato, reperta¹¹³. Attamen tales informationes et documenta, a Ciampio inventa (et aliquando in extenso publicata)¹¹⁴, minime compensant plurimos errores et incompositam edendi rationem, qua in elaborando suo, primo typis impresso, nuntiorum apostolicorum in Polonia catalogo usus est¹¹⁵.

¹⁰⁸ Vide supra, cap. I, p. 71.

¹⁰⁹ Ciampi II, p. 116.

¹¹⁰ Vide supra, cap. I, p. 71.

¹¹¹ Ciampi BC II, p. 115-116.

¹¹² Nunc in *Biblioteca Nazionale Centrale* Florentiae, ms. II-II 379 f. 807r-812r. Ciampi ea typis edidit in *Bibliografia critica* t. 2, p. 29-31.

¹¹³ Cfr. Ciampi BC I, p. 86 et BC II, p. 48. Instructio haec, die 27 I 1594 data, iam antea a Ioanne Albertrandi ex codice Barberiniano 3054 (nunc 5354?) exscripta, typis edita fuit ab Alexandro Turgenev in secundo volumine Russiae monumentorum, p. 45-47. Recentem eius editionem criticam curavit Jaitner HI I, p. 225-232.

¹¹⁴ Exempli gr. ex *Mercurio* (*Mercuryusz*) Polono iterum edidit 2 epistulas Andreae Santacroce, 9 et 15 V 1696 a. datas (*Bibliografia critica* t. 2 p. 100-101).

¹¹⁵ Opere Ciampi usus est, nulla tamen facta eius mentione, F. F. De Daugnon, qui in suo libro, cui titulus *Gli Italiani in Polonia dal IX secolo al XVIII. Note storiche con brevi cenni genealogici, araldici e*

Maiore prudentia et sagacitate in perquirendis pervestigandisque rerum praeteritarum monumentis fuit eximius ille historiae patriae amator atque illius fontium explorator non vulgaris, comes Alexander Przedzicki (1814-1871). Ioannis Baptistae Albertrandi vestigiis insistens, cum exemplari manuscripto eius *Itineris Italici*, nescio quomodo acquisito, in manu¹¹⁶, a. 1845 documenta ad res Polonicas spectantia, in Italia variis in tabulariis custodita, diligenter quaerere et explorare coeperat. Ille etiam magno studio conatus est, ut ad secreta tabularia pontificia aditum consequeretur. "Poterant enim tam iustam exacuere curiositatem arcana illa, quibus tabularia Vaticana circumdabantur, quorum ingressus sub excommunicationis poena est prohibitus"¹¹⁷. Non pariter tamen omnibus. Przedzicki certo enim ad manum habebat supra memoratum opus *Monimentorum* Turgenewii, Petropoli a. 1841-1842 editorum. Invenit in eis permultas epistulas nuntiorum in Polonia (praesertim Commendoni et Caligarii in volumine primo, et Rangonii ac Simonettae in secundo), quas ipse Turgenew, dum Romae fuit, "adiutus ope viri doctissimi, Secreto Archivo Vaticano Praefecti, comitis Marino Marini... deprompsit ex illo quasi totius orbis terrarum thesauro historico"¹¹⁸. Epistulae illae, "quarum singularum veritas et integritas manu comitis ill.mi Marino Marini et sigillo eiusdem archivi comprobata est", ex codicibus tantum sectionum *Nunziatura di Polonia* et *Fondo Albani* descriptae sunt. Anno 1839 Turgenew omnes eas, una cum reliquis documentis a se collectis insertisque apographis Albertrandianis, imperatori Nicolao I obtulit, cuius iussu postea editae sunt¹¹⁹. Archivi Vaticani praefectus non minus generosum se exhibuit etiam Sergius Uvarov, Publicae Educationis in Russia ministro. Cui, cum a. 1844 Romae esset, duo volumina epistularum Antonii Possevini SJ extraordinarii Sedis Apostolicae in Moscovia annis 1581-1582 nuntii, ab ipso porrecta sunt, quae etiam exscripta et memorato imperatori dono data, in supplementorum volumine ad *Monimenta* "Turgenewiana" publicata sunt a. 1848¹²⁰.

Poterat ergo Przedzicki bona spe esse sibi etiam eiusmodi potestatem datum iri. Qua tamen spe frustratus est. Ad eam rem consequendam ne audientia quidem, die 21 I 1846 a. a pontifice ei concessa, multum profuit.

biografici (Crema 1907), ex eo desumpsit fere omnes notitias de nuntiis et legatis, quos in opere suo descripsit (cfr. pp. 87-181).

¹¹⁶ Vide notam in frontispicio manuscripti *Itineris* in Bibl. Czartorysciana sub n. 2418 asservati.

¹¹⁷ *Wiadomość bibliograficzna*, p. 1.

¹¹⁸ Cfr. *Historica Russiae Monumenta* I, p. IV.

¹¹⁹ Ibidem, p. VI. Litterae nuntiorum, quae in primo volumine sparsae inter alia documenta inveniuntur, in secundo vero paginis 1-209 typis editae sunt, ex primis 38 codicibus sectionis *Nunz. di Polonia* excerptae sunt et unice periodum inter annos 1568-1625 comprehendunt. E posterioribus tantum aliquot scripta Secretariatus Status ad nuntios annorum 1707-1715, e codice 195 *Fondo Albani* descripta, paginis 286-287, 297 et 306-308 in secundo volumine edita sunt.

¹²⁰ Cfr. *Supplementum ad Historica Russiae Monumenta ex Archivis et Bibliothecis extraneis deprompta*, a Collegio Archaeographico edita, Petropoli 1848. Epistulae Possevini inveniuntur in paginis 1-125.

Gregorius XVI id tantummodo precibus eius dedit, ut ad *Indicem* Garampianum et ad collectiones in Bibliotheca Vaticana custoditas accessum ei permisit. Itaque accuratius exploratis fontibus, quibus Garampius in scribendo suo rerum Polonicarum orbe nixus erat, Przeddziecki firmiter sibi persuasit documenta, in sectione *Nunziatura di Polonia* in Tabulario Vaticano asserta, maximi sane esse momenti, et valde eum paenituit sibi ad illa perlustranda aditum esse praeclusum¹²¹. Animadvertit etiam illud a Garampio memoratum "Inventarium tabularii Cracoviensis, a. 1682 conscriptum, et a nuntio Spinola a. 1712 ex Polonia evectum et in Archivo Vaticano collocatum"¹²². Quod inventarium Archivi Regni Poloniae, in Arce Cracoviensi olim existentis, aperte testatur Garampium inter nuntios nostros minime illum fuisse, qui rebus Polonicis investigandis primus vacaverit.

Przeddziecki, cum fontes ad res Polonicas pertinentes in Bibliotheca Vaticana et bibliothecis familiarum Romanarum: Albani, Barberini, Chigi, Corsini, necnon Casanatensi (in qua nemo usque illuc Polonica ulla quaerebat) et Vallicelliana investigare decrevisset, haec sibi imprimis firmiter proposuit, ut ea, quae ab Albertrandio explorata essent, expleret, atque ut instructiones tantummodo et relationes finales nuntiorum apostolicorum in Polonia exscriberet. Facta itaque accuratissima investigatione - quae deinde ad bibliothecas quoque Neapolitanas (Regiam Borboniorum et Brancaccianam), Florentinas (Magliabecchianam, Riccardianam, Ginorianam et Archivum Mediceum), Parmenses (Palatinam) et Mediolanenses (Ambrosianam et Palatii Brera) sese extendit - 18 instructiones et 33 relationes repperit et descripsit¹²³. In relatione sua de his investigationibus facta, quam a. 1850 Varsaviae publici iuris fecit sub titulo: *Wiadomość bibliograficzna o rękopismach zawierających w sobie rzeczy polskie, przejrzaných po niektórych bibliotekach i archiwach zagranicznych w latach 1846-1849* (Notitia bibliographica de manuscriptis res Polonicas continentibus, in nonnullis bibliothecis et tabulariis exteris annis 1846-1849 perlustratis), Przeddziecki scribit se tunc 2000 manuscriptorum perlustrasse et 540 documenta, ad res Polonicas attinentia, descripsisse¹²⁴.

Multa apographa instructionum et relationum invenit imprimis in bibliotheca Albaniana Romae, hodie non existente (instructiones Francisco Simonetta a. 1606, Cosmo de Torres a. 1621 datas et relationes Aloisii Lippomani a. 1557, Berardi Bongiovanni a. 1560 et Iulii Ruggieri a. 1568 scriptas)¹²⁵. In bibliotheca Chisiorum detexit ignotam hucusque relationem Horatii Span-

¹²¹ *Wiadomość bibliograficzna*, p. 31-36. Cfr. A. Biernacki, *Przeddziecki Aleksander*, PSB XXXIX p. 46.

¹²² *Wiadomość bibliograficzna*, p. 34. Hodie codex ille in AV, *Misc. Arm.* II 83 custoditur. Est apographon inventarii Archivi Regni, ex mandato regis Ioannis III Sobieski confecti. In f. 6v alia manu "R.P.D. Nicolaus Spinola, Archiepiscopus Thebarum et Camerae Apostolicae auditor, e Polonica nunziatura redux, Archivo S. Congregationis Rebus Consistorialibus praepositae, Inventarium hoc... consignavit die 15 Julii 1712".

¹²³ *Wiadomość bibliograficzna*, p. 3-4; index earum ibidem in p. 170-174.

¹²⁴ *Ibidem*, p. 8.

¹²⁵ *Ibidem*, p. 93-94.

nocchi, qui a secretis fuit nuntii Alberti Bolognetti, a. 1586 exarata¹²⁶, et in Casanatensi pretiosissimam collectionem completam registorum commercii epistularum legati Henrici Caetani, annis 1596-1597 datarum¹²⁷. Bonum exitum habuit prima exploratio Polona in Bibliotheca Ambrosiana Mediolani facta, ubi Przewdziecki repperit hucusque ignotas instructiones, a. 1599 Claudio Rangoni et 13 IV 1596 a. Henrico Caetani datas¹²⁸. Florentiae vero in Bibliotheca Magliabecchiana, praeter scripta a Sebastiano Ciampi iam relata, invenit instructiones, nuntio Ioanni Baptistae Lancellotti a. 1623 et Bartholomaeo Powsiński, legato extraordinario ad Sigismundum III Poloniae regem, a. 1593 datas, necnon non parvi momenti relationem Iacobi Fantuzzi, auditoris olim Ioannis de Torres, de modo et ratione eligendi regis Poloniae (ipse testis fuit electionis Ioannis Casimiri a. 1648 celebratae)¹²⁹.

Felicem quoque habuit exitum investigatio in Archivo Mediceo Florentino peracta, ubi magni momenti litterarum autographarum commercium Fridrici Martinozzi, auditoris nuntii Petri Vidoni, cum principe Matthia de Medicis, annos 1657-1659 comprehendens, inventum est¹³⁰. Inter reperta Neapolitana longe ante alia eminent duae illuc usque ignotae relationes: altera de itinere in Moscoviam a. 1605 facto, a comite quodam nuntii Claudii Rangoni conscripta, altera de negotiationibus cum Ioanne Zamoyski initis, a Bonifatio Vannozzi, secretario legati Henrici Caetani, cuius mandato negotiationibus illis interfuit, exarata¹³¹. In bibliotheca Neapolitana familiae Brancaccio (in monasterio "ad Nidum") Przewdziecki iterum detexit (iam ab Albertrandio repertum) regestum 50 epistularum Hannibalis de Capua, annis 1587-1589 datarum. Quas ex toto exscripsit et, in Poloniam reversus, a. 1852 publicavit, ut secundam - post epistulas Ioannis Francisci Commendone - typis impressam collectionem epistularum commercii nuntiaturae Polonae, iterum, proh dolor, in versione Polona¹³².

Investigationibus suis ad finem deductis, Przewdziecki suum proprium *Indicem chronologicum legatorum et nuntiorum Sedis Apostolicae in Polonia*¹³³

¹²⁶ Ibidem, p. 92. Nunc invenitur in BV, *Chigi* R. I. 29. Typis edita est a Korzeniowski (cfr infra, notam 211).

¹²⁷ *Wiadomość bibliograficzna*, s. 7. Cfr. supra, cap. I, p. 78.

¹²⁸ Inveniuntur in codice H. 155 inf., cfr. *Wiadomość bibliograficzna*, p. 110.

¹²⁹ *Wiadomość bibliograficzna*, p. 123-127. Quae Iacobi Fantuzzi relatio nil aliud est quam epistula eius ad cancellarium Regni Neapolitani, principem Franciscum Caracciolo, 27 XI 1663 data; iam edita est a Michaele Giustiniani (*Lettere memorabili dell'Abbate Michele Giustiniani*, Vol. 2, Roma 1669, p. 24-38).

¹³⁰ Hodie in Archivo Status, *Archivio Mediceo del Principato*, Carteggio Principe Matias di Toscana. Cfr. *Wiadomość bibliograficzna*, p. 145.

¹³¹ Ambae servabantur in Bibliotheca regia Borboniorum, (cfr. *Wiadomość bibliograficzna*, p. 102), hodie in Bibliotheca Nationali Neapolitana.

¹³² *Listy Annibala z Kapui, nuncjusza apostolskiego w Polsce, o bezkrólewiiu po Stefanie Batorym i pierwszych latach panowania Zygmunta III* [Epistulae Hannibalis de Capua, nuntii apostolici in Polonia, de interregno post mortem Stephani Bathorei et primis annis regni Sigismundi III], Warszawa 1852. Cfr. *Wiadomość bibliograficzna*, p. 104.

¹³³ Cfr. supra, notam 20.

conficere statuit, qui revera nihil aliud est quam catalogus Ciampianus, documentis in expeditione Italica repertis expletus et ditatus¹³⁴. Eius auctor, etiamsi aliquot notitias falsas ex Ciampio receperit (ita ex. gr. missionem Camilli Mentovato a. 1553, Pamphili autem de Strassoldo a. 1557 collocavit), eas quoque corrigere conatus est. Specialem ex. gr. explorationem confecit, ut receptam hactenus opinionem de legatione Ioannis de Medicis, a. 1522 summi pontificis mandato in Poloniam peracta, confutaret¹³⁵. Breviter dici potest, informationes Alexandri Przewdziecki, quas de fontibus a se exploratis nobis praebet, licet interdum minus accuratae videantur, eo quod primum typis impressae sint¹³⁶, ad historiam tamen studiorum de documentis ad nuntiaturam Poloniam attinentibus susceptorum non parum contulisse, eo vel magis quod apographa ab illo confecta satis pauca servata sint.

Silentio omnino praeteriit originem fontium suorum, ad historiam nuntiaturatione Polonae explorandam attinentium, alius eiusdem historiae scriptor, Iulianus Bartoszewicz (1821-1870). Fecundus ille, quamquam forsitan nimis garrulus veterum Poloniae institutorum explorator, a. 1848 publici iuris fecit commentarium suum *De nuntiis apostolicis in Polonia*¹³⁷, quorum res gestas inde a nuntiaturatione Aloisii Lippomano (1555-1557) incepit, id est a tempore illo, quo "Roma senescens, ex mundi capite et domina, rerum publicarum conciliatrix peritissima fieri coeperat"¹³⁸. Quod eius scriptum, praeter "ingentia menda typographica" (quorum culpam auctor postea in editorem reiciebat)¹³⁹, et quamquam notis ad fontes remittentibus caret, non omnino contemnendum esse arbitramur eo, quod primus sane conatus esse videtur notitias de singulis nuntiis apostolicis in Polonia, hucusque variis locis sparsas et disiectas, in unum congerendi et summam describendi. In fine commentarii sui Bartoszewicz scribit se in hoc scripto lineamenta tantum vel adumbrationem quandam dare voluisse futuri operis de rationibus et vinculis Romae cum Polonia intercedentibus conscribendi¹⁴⁰. Quod eiusmodi opus re ipsa scribere intenderet, vel ex eo conici potest, quod septennio post commentarium conscripsit de *Sac. Vincentio Santino, nuntio apostolico in Polonia a. 1722-1728*¹⁴¹. Talis coniectura comprobatur etiam vocibus de singulis nuntiis, ab illo elaboratis, quae in "Universae doctrinae orbe" (*Encyklopedia*

¹³⁴ Ex. gr. adducit notitias de missione Pamphili Strassoldo, a. 1536 peracta, documentis in Bibliotheca Vaticana, *Vat. Lat.* 3915, servatis, innixus, quas in manu habuit (*Wiadomość bibliograficzna*, p. 38, 168), quamquam, argumentis carens, aliam missionem eius, a. 1557, ut vult Ciampi, confectam, non confutat.

¹³⁵ Cfr. *Wiadomość bibliograficzna*, p. 168.

¹³⁶ Ita se ipsum excusat Przewdziecki, cfr. ibidem, p. I.

¹³⁷ *O nuncyuszach w Polsce*, "Przegląd Naukowy", A. 1848, T. 2, p. 114-128, 151-160.

¹³⁸ Ibidem, p. 125.

¹³⁹ In commentario de Vincentio Santini (cfr. infra, notam 141) p. 389.

¹⁴⁰ *O nuncyuszach*, p. 160.

¹⁴¹ *Ksiądz Wincenty Santino, nuncyusz w Polsce 1722-1728*, "Biblioteka Warszawska", R. 62 (1885), T. 4, p. 389-411.

Powszechna) Samuelis Orgelbrand publicatae sunt¹⁴². Dissertatio haec de Vincentio Santino, ignoto fere nuntio saeculi XVIII, tam multas continet notitias, nullis tamen notis ad fontes remittentibus comprobatae, ut necesse sit credamus ipsi Bartoszewicz asserenti, se multos revera fontes praesto habuisse¹⁴³. Hic oritur quaestio: unde eos recepit? Suspiciari tantum nobis liceret illum ad ea manuscripta Archivi Nuntiaturae Varsaviensis, quae in Polonia relicta sunt, accessum habuisse.

Primum quasi gradum ad dissipandam mysterii auram, qua ditissimi illi thesauri ad historiam Poloniae, et praesertim nuntiaturae apostolicae in Polonia, illustrandam pertinentes, in "prohibito" Tabulario Vaticano custoditi, circumdabantur, fecit eiusdem tabularii praefectus, Augustinus Theiner (1804-1874), Silesius ex matre Polona natus¹⁴⁴. Qui iam in tribus tomis *Annalium ecclesiasticorum*, a. 1856 Romae editis, quibus magnum illud opus Baronii, Raynaldi et Laderchii¹⁴⁵ continuare voluit, non pauca publicavit documenta illuc usque incognita, ad nuntiaturas Vincentii Lauro, Andreae Caligarii et Alberti Bolognetti pertinentia et annos 1572-1585 complectentia¹⁴⁶. Plures etiam litteras nuntiorum in Polonia, a Petro Vidoni (1656) usque ad Iacobum Santini (1722), evolutionem Magni Ducatus Moscoviae in modernum imperium Russiae illustrantes, collectas esse a Theinero eo animo, ut in sequentibus voluminibus *Annalium* publicarentur, cum tamen paulo post auctor continuationi illius benemeritae seriei renuntiasset, omnes illae epistulae anno 1859 in unico volumine *Monumentorum historicorum* ad regna Alexii, Theodori et Petri Magni, imperatorum Russiae, spectantium sunt publicatae¹⁴⁷. Aliquot etiam litteras diversorum nuntiorum Polonorum inveniri potes in fere unaquaque ex multis publicationibus Theineri, quae in bibliographiis singulorum nuntiorum enumerantur.

Sed inexhaustae fere et infinitae fontium res Polonas illustrantium, qui in Tabulario Vaticano custodiuntur, divitiae in opere illo Theineri, quod inscribitur *Vetera monumenta Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae gentiumque*

¹⁴² Scripsit biogrammata 32 nuntiorum in voluminibus II-XVII (Warszawa 1860-1864) et XXII-XXVI (ibidem 1866-1867). Vitae et opera reliquorum nuntiorum - praeterquam eorum, qui omisi sunt in ista encyclopaedia (Bolognetti, Filonardi, Martinengo, Mentovato, Nerli, Odescalchi, ambo Paulucci, Piazza, Ranuzzi, Serbelloni et Serra) - compilata sunt a Francisco Sobieszczański et fere nullum valorem scientificum habent (a biogrammate Pallavicini usque ad biogramma Ruini, necnon Simonettae, ordine alphabetico considerata).

¹⁴³ Cfr. *Ksiądz Wincenty Santino*, p. 389.

¹⁴⁴ Cfr. H. Jedin, *Augustin Theiner. Zum 100. Jahrestag seines Todes am 9 August 1874*, "Archiv für Schlesische Kirchengeschichte", 31 (1973), p. 134-186.

¹⁴⁵ Cfr. supra, notam 33. Iacobus Laderchi elaboravit volumina 22-24 *Annalium* (Romae 1728-1734), pontificatum Pii V (1565-1572) complectentia. Theiner opus eius continuavit elaborando pontificatum Gregorii XIII (1572-1585).

¹⁴⁶ Cfr. Theiner AE I-III passim.

¹⁴⁷ *Monuments historiques relatifs aux règnes d'Alexis Michaélouitch, Féodor III et Pierre le Grand, czars de Russie*, extraits des Archives du Vatican et de Naples par A. Theiner, Rome 1859; cfr. introductionem, p. VII.

finitimarum.. ex Tabulariis Vaticanis deprompta, manifesto apparuerunt. Editio eius quattuor voluminum in folio, quae Romae annis 1860-1864 in lucem prodierunt, subsidiis i.a. Alexandri Przewdziecki ad effectum deducta erat¹⁴⁸. Egregia accurataque Archivi Vaticani cognitio atque peritia, qua editor erat instructus, factum est, ut fere omnia maioris momenti documenta ad Poloniam spectantia ab illo selecta sint, ut publicarentur. Quorum pars non exigua constitit ex epistulis nuntiorum, in sectione *Nunziatura di Polonia* nuncupata asservatis, quae curiositatem omnium illuc usque exploratorum tantopere excitabat exacuebatque. Utraque imprimis pars quarti voluminis *Monumentorum*, annos 1697-1775 complectentis, continet documenta fere omnia ex illa sectione deprompta et ad hodiernum usque diem est unica omnino typis edita collectio epistularum commercii nuntiorum apostolicorum in Polonia cum Secretariatu Status habiti, inde a nuntiatura Francisci Pignatelli (1700-1703) usque ad Iosephum Garampi (1772-1776). Sunt tamen in voluminibus prius editis etiam epistulae nuntiorum saeculi XVI et XVII non solum ex sectione *Nunziatura di Polonia*, sed etiam ex aliis collectionibus originalis litterarum commercii, ex. gr. ex sectione *Lettere di Principi*, excerptae. Incipiunt litteris Hieronymi Martinengo ad card. Alexandrum Farnese, 22 IX 1548 a. datis, ex *Carte Farnesiane* exscriptis¹⁴⁹, id est illa privati Farnesium tabularii parte, quae partim Neapoli, partim in Archivo Vaticano servabatur. Deinde a Theinero publicantur: copiosissimum epistularum commercium Berardi Bongiovanni cum card. Ioanne Morone (1560-1563), ex integro autographorum codice in *Nunziatura di Polonia* expromptum¹⁵⁰, epistulae cardinalis Borromaei ad Ioannem Franciscum Commendone a. 1565 datae, ex sectione *Lettere di Principi* mss. 22 et 23 exscriptae¹⁵¹, necnon aliquot fragmenta commercii litterarum nuntiorum posteriorum (exceptis Lauro, Caligario et Bolognetti, quorum epistulae prius in *Annalibus* a Theinero editae sunt) in subsequentibus nuntiaturae Polonae codicibus custoditi. Ad temporum rationem seu chronologiam nuntiaturae statuendam non parum contulerunt etiam multa singulorum nuntiorum nominationis brevia, quae Theiner ex registris in *Armadiis* 39, 44 et 45 necnon in sectione *Epistolae ad Principes* custoditis deprompsit et edidit. Editio Theineriana, quamquam non vitis immunis, pro temporibus tamen illis satis bona et accurata definiri potest. Exploratore, eam inspicere et cum originali conferre cupientem, maxime delectant singularia illa signa in forma parvae crucis exarata, quibus editor in manuscriptis ea documenta signavit, quae ut exscriberentur selegit.

Editio a. 1864 ad finem deducta ultimi voluminis *Monumentorum* Theineri cum tempore concurrat, quo *Relationes nuntiorum* Albertrandii (editore

¹⁴⁸ B. Biliński, *I Polacchi nell'Archivio Vaticano e il primo trentennio dell'Espeditio Romana (1886-1916)* in: *L'Archivio Segreto Vaticano e le ricerche storiche*, a cura di P. Vian, Roma 1983, p. 47.

¹⁴⁹ Theiner VMPL II, p. 563-564.

¹⁵⁰ Ibidem, p. 658-705.

¹⁵¹ Ibidem, p. 715-721.

Erasmus Rykaczewski) in lucem prodierunt. Quo factum est, ut annus 1864 is reputari possit, quo scientia de nuntiatura apostolica in Polonia magnopere progressa sit. Ab his duabus editionibus maxime distat, eodem anno Ostroviae in Polonia Maiore publicata, *Notitia de legatis et nuntiis apostolicis in vetere Polonia a. 1075-1865*¹⁵². Cuius auctor, sac. Paulus Fabisz (1819-1881), qui iam a. 1859 Olesniciae edidit *Elenchum chronologicum legatorum et nuntiorum Sedis Apostolicae in Polonia (Spis chronologiczny legatów i nuncyuszów św. Stolicy Apostolskiej w Polsce (1075-1865))*, nititur imprimis notitiis, ex *Bibliographia critica* Sebastiani Ciampi et *Notitia bibliographica* Alexandri Przewdziecki receptis, quas non multis documentis et mentionibus de nuntiis, ex primis voluminibus *Actorum Tomicianorum*, inde ab a. 1852 a Tito Działyński Posnaniae publicari coeptis, supplere et ditare studuit. Quo in opere manifesto imprimis apparet incompressa atque inordinata edendi ratio (quam a Ciampio assumpsit) et frequentes mentiones fontium, quibus auctor nunquam usus esse videtur, inter quos, praeter *Synopsim* Garampianam, cuius notitiam fortassis a Przewdziecki recepit¹⁵³, nominantur documenta ex Archivo Nuntiaturae Varsaviensis, Vindobonae deposita, 7 thecae actorum nuntiaturae a Bacciarellio memoratae (quarum notitiam Ciampi typis ediderat)¹⁵⁴ atque "adnotationes de nuntiatura Polona" Petri Vidoni(!)¹⁵⁵. Tot tamen documentorum, quae citare solet (accurrit etiam ad auctoritatem non melius descriptarum bibliothecarum, quas Romae et omnino in Italia se perquisivisse asserit)¹⁵⁶, in opere suo nullus omnino conspicitur effectus, immo veteres errores iam a Ciampio commissi crebro repetuntur. Fabisz a. 1864 editiones Erasmi Rykaczewski et Augustini Theiner nondum cognoscere potuit, sed quod biennio post, in secunda editione *Notitiae*¹⁵⁷, informationes suas tantum ex opere Rykaczewski receptis, et quidem nonnisi in appendice¹⁵⁸, additamentis supplevit, operi suo certo laudi non est, operi inquam, quod ad hodiernum usque diem a viris doctis citatur, ut recentissimum ad historiam nuntiaturae Polonae cognoscendam.

¹⁵² *Wiadomość o legatach i nuncyuszach apostolskich w dawnej Polsce 1075-1865.*

¹⁵³ Cfr. *Wiadomość bibliograficzna*, p. 33.

¹⁵⁴ Cfr. supra, p. 103. Secundum Paulum Fabisz tunc temporis in Archivo Supremi Consilii Rebus Spiritualibus praepositi Petropoli servabatur (*Wiadomość o legatach*, p. 2).

¹⁵⁵ *Wiadomość o legatach*, p. 2. Suntne istae adnotationes eadem ac in App. N. 13 publicatae? quaerendum tamen, a quo tunc temporis Fabisz illarum notitiam habere potuerit.

¹⁵⁶ Ibidem, p. 2 (verisimiliter notitias eiusmodi a Przewdziecki recepit).

¹⁵⁷ Ostrów 1866.

¹⁵⁸ Paginis 359-397.

3. De primis Archivi Vaticani perquisitionibus et de Expeditionibus Romanis Academiae Scientiarum Cracoviensis usque ad a. 1896.

Ex quo ad Tabularium Vaticanum a. 1881 a Leone XIII pontifice maximo totius orbis viris doctis aditus patefactus est (quam rem Stanislaus Smolka "unum ex maximi momenti eventibus in historia scientiarum" pronuntiavit), infinita fere et inexhausta vetustatis monumenta in eo servata explorari et publici iuris fieri coepta sunt. Huiusmodi exploratio ad nostros usque dies continuatur a variis scholis seu institutis, a singulis nationibus eo consilio Romae conditis, ut rerum praeteritarum monumenta in Archivo Vaticano custodita inquirerent, investigarent ac publici iuris facienda curarent. Cuiusmodi operam Schola imprimis Gallica Romana (École Française de Rome), iam a. 1873 fundata, et Institutum Historicum Austriacum (Österreichisches Historisches Institut), a. 1881 conditum, inchoaverunt¹⁵⁹. Ingenti sane copia atque abundantia fontium, ad res gestas variarum gentium illustrandas pertinentium, ad quos tunc viris doctis aditus patefactus erat, factum est, ut initio rerum gestarum studiosi ad mediae aetatis et saeculi XVI monumenta exploranda se imprimis converterent. Inter quae prae aliis emergerunt compactae collectiones veterrimi epistularum commercii nuntiorum apostolicorum cum Curia Romana, quae tum ob ea, quae in eis continebantur, tum quod facile colligi poterant, effecerunt, ut, cum primum tabularium patefactum est, summo studio ab historiae studiosis explorari et publicari coeptae sint.

Eiusmodi edendi actio ab Hungaris imprimis suscepta est. Academia Scientiarum Budapestensis, licet nullum in Urbe nationis suae proprium institutum condiderit, noluit enim, ut Austriacorum potestati subiici cogere-
tur¹⁶⁰, mox tamen post archivi apertionem secretarium suum, sacerdotem Gulielmum Fraknói, recognitionis causa Romam misit¹⁶¹. Qui itaque in sectione *Nunziatura di Germania* i.a. invenit integrum volumen optime servatarum epistularum nuntii Ioannis Pulleoni, baronis Burgi (1524-1526), quibus causae et praecurrentia cladis illius Altinensis (Mohács), a. 1526 Hungaris a Turcis illatae, nova luce illustrabantur¹⁶². Volumen illud iam a. 1884 ab

¹⁵⁹ A. 1888 fundata sunt Preussisches Historisches Institut (publicat pretiosum commentarium "Quellen und Forschungen aus Italienischen Archiven und Bibliotheken") et Römisches Historisches Institut der Goerres-Gesellschaft (edit "Römische Quartalschrift"), anno autem 1904 conditum est Institutum Historicum Belgicum (publicat "Analecta Vaticano-Belgica"). De his et aliis, quae postea condita sunt, institutis fusius scribit K. A. Fink, *Das Vatikanische Archiv*, III: *Die Erforschung: Aufgabe und Leistung*, 2. Aufl., Rom 1951, p. 156-164.

¹⁶⁰ Római Magyar Intézet nonnisi a. 1893 fundatum est.

¹⁶¹ Cfr. Jerzy Mycielski, *Otwarcie watykańskich archiwów i najnowsze publikacje z dziejów reformacji* [Tabulariorum Vaticanorum apertio et recentissimae publicationes ad historiam reformationis pertinentes], "Przegląd Polski" R. 19 (1884/85), T. 3 (75), p. 346-347.

¹⁶² Hoc volumen servatur in AV, *Nunziatura di Germania*, ms. 55. Cfr. V. Fraknói, *Ungarn vor der Schlacht bei Mohács (1524-1526) auf Grund der päpstlichen Nuntiaturrechnungen*, Budapest 1886.

ipso inventore suo in toto editum est. Sic incipit - intra maiorem editionem *Monumenta Vaticana historiam Regni Hungariae illustrantia* - prima omnino publicationum series, in qua epistularum commercium ac relationes nuntiorum apostolicorum ordine rationeque in lucem eduntur¹⁶³.

Quod felix Hungarorum inceptum historiae etiam Poloniae studiosos stimulavit, ut investigandis fontibus Vaticanis, ad nuntiaturam apostolicam in Polonia attinentibus, sedulam navarent operam¹⁶⁴. Nuntius enim Pulleoni, quamquam Budae residebat, apud aulam quoque Sigismundi I Poloniae regis munere nuntii fungebatur (mense Iulio a. 1524 in Polonia commoratus est) et non solum negotia Polona conficienda curabat, sed etiam Curiam Romanam de rerum Polonicarum statu ac condicione diligenter reddebat certiore¹⁶⁵. Ita Fraknói a. 1884 viris doctis Polonis unum adhuc nuntium apostolicum, ad illud usque tempus prorsus ignotum, propiorem reddidit.

Multas non parvi momenti rerum Polonicarum notitias, ad annos 1533-1539 spectantes, continuerunt prima volumina *Nuntiatuiberichte aus Deutschland*, a Valthero Friedensburg edita¹⁶⁶. Quae licet nonnisi a. 1892 in lucem prodierint, eorum tamen praeparationem amplior investigatio atque accurata studia de origine, ordinatione ac documentis nuntiaturarum praecesserunt et secuta sunt. Itaque praecipue ea de re bene meritus Aloisius Meister iam a. 1891 commentarium de nuntiorum, i.a. etiam Polonorum, caerimoniarum ordine publicavit (manuscripto BV, *Ottob.Lat.* 2206 fultum)¹⁶⁷; biennio post temptavit primam descriptionem nuntiaturae Hispanicae¹⁶⁸; deinde nuntiorum notis secretioribus, quibus in suo litterarum commercio uti solebant, explorandis operam dare coeperat, multis etiam clavibus notarum arcanarum, i.a. pro nuntiis in Polonia, publici iuris factis¹⁶⁹. Maxime tamen scientiam de historia nuntiaturae investiganda promoverunt atque locupletarunt duo opera a. 1894 publicata: dissertatio egregii illius antiquorum codicum interpretis, Ioannis Baptistae Sägmüller, de initiis diplomatici epistularum commercii, in qua accurate tractantur omnia genera documentorum, quae una cum nuntiaturis creata sunt¹⁷⁰, necnon liber Antonii Pieper de origine primis-

¹⁶³ Series II, Vol. 1: *Relationes oratorum pontificiorum 1524-1526*. Ed. V. Fraknói, Budapest 1884.

¹⁶⁴ "Nostris quoque iuvenes rerum gestarum studiosi ad limina Apostolorum se conferre debent", Mycielski, p. 350.

¹⁶⁵ Relationes Ioannis Pulleoni publicantur in secundo volumine ANP (cfr. Tab. II/3).

¹⁶⁶ Cfr. I. Abteilung, Bd 1: *Nuntiatuere des Vergerio 1533-1536*; Bd. 2: *Nuntiatuere des Morone 1536-1538*. Praeter quas, iam a. 1892, mandato Societatis Goerresianae, in lucem prodiit volumen *Nuntiatuere Giovanni Morones vom deutschen Königshof 1539-1540*, a F. Dittrich curatum.

¹⁶⁷ *Zeremoniell der Nuntien*, RQ 5 (1891), p. 159-171.

¹⁶⁸ *Zur spanischen Nuntiatuere im 16. und 17. Jahrhundert*, RQ 7 (1893), p. 447-481. Cfr. postea publicatum studium Richardi de Hinojosa, *Los despachos de la diplomacia pontificia en España*, Madrid 1896.

¹⁶⁹ *Die Geheimschrift im Dienste der päpstlichen Kurie von ihren Anfängen bis zum Ende des 16. Jahrhunderts*, Paderborn 1906. Cfr. supra, cap. I, p. 30-31.

¹⁷⁰ *Die Anfänge der diplomatischen Korrespondenz*, HJ 15 (1894), p. 279-306.

que incrementis stabilis permanetisque nuntiaturae pontificiae, penes aulas principum catholicorum institutae¹⁷¹.

Etiam Poloni, rerum gestarum studiosi, cum primum Archivum Secretum Vaticanum apertum est, ad fontes in eo servatos investigandos se statim converterunt. Iam a. 1881 explorationem suam inchoavit historiae studiosus Varsaviensis, Theodorus Wierzbowski (1853-1923), auctor supra memorati catalogi legatorum et nuntiorum apostolicorum in Polonia, quem Romae iam a. 1880 publicavit¹⁷². Qui, cum documenta ad vitam Iacobi Uchański, primatis Poloniae, enarrandam pertinentia quaereret, primos codices in sectionibus *Nunziatura di Polonia*, *Lettere di Principi*, *Lettere di Vescovi* asservatos, necnon registra brevium pontificiorum in *Armadio* 44 custodita perlustravit; explevit etiam priores investigationes Polonas, in bibliothecis Romanis Barberiniorum, Casanatensi, Angelica et Vaticana peractas, verno autem tempore a. 1881 (adhuc antequam Tabularium Vaticanum viris doctis patefactum esset), signaturas a Theinero in Vaticanum in *Veteribus Monumentis* allatas sequens, primam explorationem Polonam collectionis *Carte Farnesiane* Neapoli confecit¹⁷³. Peractis huiusmodi quaestionibus factum est, ut iam a. 1884, in primo volumine documentorum vitam et operam Iacobi Uchański illustrantium, Wierzbowski selectum ex Archivo Vaticano epistularum commercium eiusdem Poloniae primatis cum nuntiis Berardo Bongiovanni, Ioanne Francisco Commendone, Vincentio Dal Portico, Vincentio Lauro et Andrea Caligario (simul 40 epistulas) publicare potuerit. Quod secutae sunt in secundo *Uchanscianorum* volumine, licet directe cum Uchanscio non fuerint coniunctae, duae ignotae epistulae Ottonis Truchsess, nuntii a. 1542, ad card. Alexandrum Farnese, ex Neapolitanis *Chartis Farnesianis* depromptae¹⁷⁴, et tres epistulae nuntii Commendone ad card. Borromaeum a. 1565 datae, in Barberiniorum bibliotheca repertae¹⁷⁵.

Nuntiatarum exterarum acta primum publicata, necnon labores a participibus primarum expeditionum Romanarum Academiae Scientiarum Cracoviensis suscepti, Theodoro Wierzbowski incitamento fuerunt ad celeriter parandam - et propterea minus accuratam - editionem epistularum Vincentii Lauro ad card. Tolomaeum Gallium annis 1574-1578 datarum, quae secundum Poloniae interregnum et electionem Stephani Bathorei quasi nova luce abunde illustrant¹⁷⁶. Imperfecta, ad scientiae normas quod attinet, editione

¹⁷¹ *Zur Entstehungsgeschichte der ständigen Nuntiaturen*, Freiburg im Br. 1894.

¹⁷² Cfr. supra, p. 88.

¹⁷³ Cfr. eius relationem in: *Uchansciana czyli zbiór dokumentów wyjaśniających życie i działalność Jakuba Uchańskiego* [Uchansciana seu collectio documentorum, vitam et operam Iacobi Uchański illustrantium], T. I, Warszawa 1884, p. VIII-XII.

¹⁷⁴ Wierzbowski U II, p. 4-11.

¹⁷⁵ Ibidem, p. 172-186.

¹⁷⁶ *Vincent Lauro, évêque de Mondovi, nonce apostolique en Pologne 1574-1578, et ses dépêches inédites au cardinal de Côme, Ministre-Secrétaire d'Etat du pape Grégoire XIII, éclaircissant la politique du Saint-Siège dans les années susdites relativement à la Pologne, la France, l'Autriche et la Russie*, Varsovie

illorum 204 documentorum, quae in toto ex manuscriptis in *Nunziatura di Polonia* in mss. 7-12 asservatis exscripta erant, factum est, ut nuntiatura Vincentii Lauro ad nostros usque dies, cum de edendi ratione agitur, quaestio insoluta remaneat. "Huiusmodi editiones castigandae sunt - scripsit Stanislaus Smolka, cum a. 1887 opus hoc in lucem prodisset - praeterea vehementer dolendum, Wierzbowski id genus fallacis editoris gloriam sibi comparare"¹⁷⁷.

Hoc privatum viri docti Varsaviensis, alioquin de historiae monumentis explorandis optime meriti, inceptum atque institutum minus nocuit reliquis nuntiis apostolicis, qui Iacobo Uchański primate munere suo in Polonia functi sunt. Nimis festinanter hinc illinc collecta fragmenta ex 273 epistulis (inter quas 161, a. 1578-1581 datae, ad Caligarium pertinent), a nuntiis Bongiovanni, Commendone, Ruggieri, Lauro, Caligari datis vel acceptis, ex sectione *Nunziatura di Polonia* (mss. 1A, 2, 3, 5, 11, 14-18, 170A-172) descripta, a. 1892 in quarto volumine *Uchanscianorum* sub communi titulo *Legationes pontificiae in Polonia* edita¹⁷⁸, nimis imperfecta atque non completa fuerunt, quam ut futurorum editorum operam irritam et non necessariam facerent. Patefecerunt tamen et in medium protulerunt immensas sane divitias, quae in Vaticanis nuntiorum Polonorum epistularum commercii collectionibus reconditae sunt.

Incepta Theodori Wierzbowski in edendis fontibus, etiamsi minus feliciter cesserunt, effecerunt tamen, ut etiam Poloni rerum gestarum studiosi sibi conscii fuerint, inquisitiones atque investigationes in Tabulario Vaticano non forte fortuna, a singulis viris doctis, solido subsidio pecuniario atque aliorum studiosorum auxilio carentibus, fieri posse. Quod imprimis clarum et manifestum fuit principi illi explorationum Polonicarum instimulatori, in Universitate Cracoviensi professori, Stanislawo Smolka (1854-1924). Cuius sententia nonnisi Academia Scientiarum Cracoviensis huiusmodi explorationum fulcrum esse potuit. Smolka itaque auctore, Commissio Historica eiusdem Academiae in sessione, 16 I 1885 a. celebrata, uni viro docto specialem pensionem studiorum causa tribuere decrevit, Romam ad recognitionem mittendo¹⁷⁹.

Revera tamen autumnus eiusdem anni duo in Italiam profecti sunt, Vladislaus Abraham et Bronislaus Dembiński. Alter ad historiam medii aevi explorandam, alter saeculi XVI documenta quaesiturus¹⁸⁰. Relationes, quae ab illis

1887; 6 ex his documentis publicavit iam Theiner in suis *Annalibus ecclesiasticis*, vol. 1, p. 415-416; vol. 2, p. 578-580.

¹⁷⁷ Cfr. H. Barycz, *Stanisław Smolka w życiu i w nauce* [Stanislaw Smolka vita et doctrina], Kraków 1975, p. 165.

¹⁷⁸ Poselstwa papieskie w Polsce, Wierzbowski U IV, p. 1-152. Cfr. etiam p. 233-241 et 346.

¹⁷⁹ Mycielski, p. 350. De actione in hac re Stanislaw Smolka fusius scripsit H. Barycz, ut supra, p. 154-170.

¹⁸⁰ Cfr. *Materiały do działalności Komisji Historycznej Akademii Umiejętności w Krakowie w latach 1873-1918. Wybór źródeł* [Documenta, operam Commissionis Historicae Academiae Scientiarum

Cracoviam missae sunt, "omnem - teste Smolka - superarunt expectationem"¹⁸¹. Dembiński, qui Romam proficiscens bene definitum consilium ac rationem suae propriae investigationis habuit (tunc temporis disceptationem suam de pontificatu Pii IV perficiendam curabat)¹⁸² et subsidio tantum pecuniario Academiae utebatur¹⁸³, indicavit praesertim "immensum valorem" sectionis *Nunziatura di Polonia*, confecit elenchum scriptorum, quae in primis 51 eius voluminibus continebantur, et primus significavit magnam molem documentorum, ad nuntios, qui Stephano Bathoreo rege in Polonia fuerunt (Caligarius et Bolognetti), attinentium¹⁸⁴. Multa quoque nova documenta reperit, tum in aliis Archivi Vaticani sectionibus (i.a. epistulas Nicolai Fabri, a. 1525, in *Archivo Arcis*, et Hannibalis de Capua annis 1587-1591 datas, in *Lettere di Principi*)¹⁸⁵, tum in Bibliotheca Vaticana et in privatis bibliothecis Romanis principum Barberini, Chigi (ubi i.a. primus significavit notas secretiores nuntiorum, qui annis 1585-1590 fuerunt)¹⁸⁶ et Corsini. Dembiński significavit etiam - quod futuris praesertim exploratoribus valde pretiosum fuit - copiosissima documenta, ad historiam nuntiaturae Polonae indagandam maxime utilia, in tabulariis Romanis servata, quorum aditus ad illud usque tempus Polonis erat praecclusus, ut erant Archivum Status Italici, tabularia Burghesiorum et Congregationis de Propaganda Fide¹⁸⁷. Fructus harum omnium investigationum et recognitionis a Bronislao Dembiński factae fuit non solum amplior *Relatio (Sprawozdanie)*, quam ceterum magna ex parte inventariis nixus scripsit, sed etiam brevis ac concisa descriptio nuntiaturae Bernardi Bongiovanni (1560-1563)¹⁸⁸.

Ex quo Dembiński et Abraham actionum suarum fructus Cracoviae retulerunt¹⁸⁹, omnibus plane manifestum fuit, in locum investigationum, quae

Cracoviensis annis 1873-1918 peractam illustrantia. Fontes selecti], ed. Danuta Rederowa, Wrocław 1974 (Rederowa MKH) p. 70-71, 76, 82-83. De ordinanda hac et sequentibus Expeditionibus Romanis scripsit D. Rederowa, *Ze studiów nad kontaktami Akademii Umiejętności z nauką obcą. Ekspedycja Rzymska (1886-1918)* [De vinculis inter Academiae Scientiarum sodales et externos historiae studiosos intercedentibus. Expeditio Romana 1886-1918], "Rocznik Biblioteki PAN w Krakowie", 4 (1958), p. 191-256.

¹⁸¹ Rederowa MKH, p. 86.

¹⁸² Cfr. *Studia nad pontyfikatem Piusa IV* [Studia de pontificatu Pii IV], in: *Rozprawy Wydziału Historyczno-Filozoficznego Akademii Umiejętności*, T. 20, Kraków 1887, p. 190-304.

¹⁸³ Cfr. Rederowa MKH, p. 76.

¹⁸⁴ Cfr. tardius editam et suppletam relationem *Sprawozdanie z poszukiwań w archiwach i bibliotekach rzymskich, a szczególnie w Archiwum Watykańskim, o materiałach do dziejów polskich w XVI i XVII wieku* [Relatio de inquisitionibus documentorum ad historiam Polonam saec. XVI et XVII pertinentium, in tabulariis et bibliothecis Romanis, praesertim in Archivo Vaticano, confectis], in: *Scriptores rerum Polonicarum*, Vol. 12, Cracoviae 1888, p. 43-110. De collectionibus nuntiaturae sermo est in p. 61-76 et 106-110.

¹⁸⁵ Ibidem, p. 53, 55. Cfr. AV, AA I-XVIII ms. 6522 et *Lettere di Principi*, mss. 47, 50.

¹⁸⁶ Dembiński, *Sprawozdanie*, p. 90. Cfr. BV, Chigi M. II 50-55.

¹⁸⁷ Cfr. *Sprawozdanie*, p. 80-83, 94-98.

¹⁸⁸ Cfr. *Rzym i Europa przed rozpoczęciem trzeciego okresu Soboru Trydenckiego* [Roma et Europa ante initium tertiae periodi Concilii Tridentini], in: *Rozprawy Wydziału Historyczno-Filozoficznego AU*, Series II, T. 2, Kraków 1891.

¹⁸⁹ Relatio Vladislai Abraham, multo minus accurata quam Bronislai Dembiński, publicata est in:

hactenus in tabulariis Romae et Vaticani a singulis peragebantur, commune studium ac bene ordinatam operam multorum subrogandam esse. Stanislaus Windakiewicz, cum postea fructus operae Ioannis Albertrandi, Alexandri Przewdziecki, Theodori Wierzbowski, Vladislai Abraham et Bronislai Dembiński referre voluisset, scripsit eos "sicut aves orbas in regiones illas avolantes, viam straverunt multis, qui primae expeditioni Polonae ad tabularia Romana interfuerunt, eorumque operam leviolem facilioremque reddiderunt"¹⁹⁰. Eius ordinator moderatorque fuit Stanislaus Smolka, ad tempus sumptibus privatim collectis, sed ab Academia Scientiarum Cracoviensi suffultus. Huius primae Expeditioni Romanae, quam vocant, autumno a. 1886 institutae, praeter ipsum Smolka, sex alii iuvenes rerum gestarum studiosi, explorandi studio incensi, interfuerunt: Ludovicus Grossé, Iosephus Kallenbach, Iosephus Korzeniowski, Stanislaus Krzyzanowski, Vitoldus Rubczyński et Stanislaus Windakiewicz. In Italiam proficiscens, dux expeditionis somniabat in hunc modum "litteris Polonis atque doctrinae fenestram in mundum aperiiri"¹⁹¹, eius vero collegis visum erat se quasi Columbos esse historiae Polonae¹⁹².

Cum iam Romae fuissent, participes expeditionis, cum "inaestimabili duce" - relatione Bronislai Dembiński in manu - initio omnia, quae ad Poloniam quodammodo spectabant, summo studio aggressi sunt. Aliqua volumina in toto descripserunt, ex aliis summaria conficienda curarunt¹⁹³. Sic ex. gr. Grossé multa ignota documenta pontificia, temporibus Vladislai Jagellonis edita, ad *Codicem epistolarum saeculi XV* attulit¹⁹⁴. Korzeniowski autem res Polonicas ex Archivo Consistoriali describebat¹⁹⁵ et diligentem navabat operam colligendo atque exscribendo pretioso epistularum commercio ex annis 1561-1563 card. Stanislai Hosii, ad Concilium Tridentinum legati, quod tertio volumini iam a. 1879 publicari coeptae seriei *Stanislai Hosii... epistolae et legationes* destinatum erat¹⁹⁶. Non pauci expeditionis participes horas quoque

Scriptores Rerum Polonicarum, Vol. 13, Cracoviae 1889, p. 33-85.

¹⁹⁰ S. Windakiewicz, *Wyprawa naukowa do Rzymu roku 1886* [Expeditio scientifica a. 1886 Romam facta], "Czas", 12 XI 1887.

¹⁹¹ Ex litteris Stanislai Smolka ad Stanislaum Windakiewicz. Cfr. Barycz, p. 154. Fusius de hac prima expeditione scripserunt: Rederowa (*Ze studiów*, p. 192-201) et Biliński (*L' "Expeditio Romana" 1886 dell'Accademia di Scienze e Lettere di Cracovia*, ASRSP, 100 (1977) p. 129-134; cfr. eiusdem, *I Polacchi nell'Archivio Vaticano*, p. 152-154).

¹⁹² Biliński, *I Polacchi*, p. 53, 55.

¹⁹³ I. Korzeniowski ad B. Dembiński, Romae 23 XI 1886. *Listy Józefa Korzeniowskiego do Stanisława Smolki i Bronisława Dembińskiego* [Epistulae Iosephi Korzeniowski ad Stanislaum Smolka et Bronislai Dembiński], ed. Iosephus Dużyk, "Rocznik Biblioteki PAN w Krakowie", 31(1986), p. 67.

¹⁹⁴ Ed. ea Anatolius Lewicki in *Monumentis Medii Aevi Historicis*, Vol. 12, 14, Cracoviae 1891, 1894.

¹⁹⁵ Deinde ab ipso Korzeniowski editae in *Analectis Romanis quae historiam Poloniae saeculi XVI illustrant. Excerpta ex libris manuscryptis Archivi Consistorialis Romani*, Cracoviae 1894 (*Scriptores rerum Polonicarum*, Vol. 15).

¹⁹⁶ Documenta ab eo descripta deinde transierunt in Thecas Hosianas, quas vocant. De pondere et momento reperti, a Korzeniowski facti, disputabatur in sessione Commissionis Historicae Academiae Scientiarum 24 X 1887 a. Cfr. Rederowa MKH, p. 100-101.

postmeridianas, quibus Tabularium et Bibliotheca Vaticana clausa manebant, eo sacrificabant, ut ex registris Camerae Apostolicae exscriberent catalogos solutionis annatarum ex Polonia, qui in Tabulario Status Romano (*Archivio di Stato*) servabantur. *Itineris Italici* Albertrandii vestigiis insistentes, *Relationibus* Bronislai Dembiński et Theodori Wierzbowski muniti, participes expeditionis omnia ad Poloniam spectantia ex *Chartis Farnesianis* Neapoli (Korzeniowski) et in bibliotheca Romana Chisiorum (ad bibliothecam Barberiniorum autumno a. 1886 accessus nondum permittebatur) colligebant et in album referebant¹⁹⁷.

Iam tamen inde a principio expeditionis participibus tanta documentorum a nuntiatura creatorum se obtulit moles, ut necessitas illa imprimis explorandi semper evidentior fieret. Prius adhuc quam investigationes Vaticanae coeptae essent, Stanislaus Windakiewicz, praeter Iosephum Korzeniowski diligentissimus et maximo explorandi studio incensus expeditionis particeps, ille, qui facta investigatione "nihil inexploratum post se relinquere solitus est" (Korzeniowski), aliquot ignota documenta, ad nuntiaturam Aloisii Lippomano attinentia, Tridenti et Veronae repperit¹⁹⁸. Korzeniowski, qui initio "temporibus, ab a. 1555 usque ad a. 1569 elapsis, et ultimis annis regni Sigismundi Augusti penitius indagandis, praecipue ad reformationem ecclesiasticam quod attinet", incumbere in animo habuit, modo composito et ordinato investigare et describere coeperat epistularum commercium nuntii Camilli Mentovato cum nepotibus Pauli IV, Carolo et Ioanne Caraffa, ex annis 1558-1559¹⁹⁹, postea vero - autumnali tempore a. 1887 - Genuam quoque se contulit, ut commercium litterarum Ioannis Francisci Commendone exquireret, quod Albertrandius in bibliotheca familiae Fieschi di Lavagna vidisse dicebatur²⁰⁰.

Mox tamen omnia illa incepta atque consilia uni soli subiecta sunt. Stanislaus Smolka, qui "praecipue laboribus magis generalibus studuit, ratione imprimis habita documentorum, quae in futuris [ad tabularia Italica] expeditionibus accuratius exploranda essent futura"²⁰¹, in sectionem praesertim *Nunziatura di Polonia* animum intendit, et in ea notavit - eo vel magis, quod tunc temporis 300. anniversarium mortis Stephani Bathorei Poloniae regis (1586) celebrabatur - satis completam collectionem epistularum commercii nuntiorum, qui illo regnante munere suo functi sunt: Andreae Caligarii et

¹⁹⁷ Korzeniowski ad Dembiński, Dużyk LK, p. 67-68.

¹⁹⁸ Korzeniowski ad Dembiński, 3 XI 1885, Dużyk LK, p. 61.

¹⁹⁹ Ideam ad eundem, 23 XI 1886, Dużyk LK, p. 68. Hoc litterarum commercium servatur in AV, *Lettere di Principi*, ms. 11, et in BV, *Chigi*, ms. M.I.4.

²⁰⁰ Korzeniowski ad Smolka, 9 XI 1887, Dużyk LK, p. 41. Cfr. supra, notam 86. Hanc bibliothecam Korzeniowski non repperit. Hodie invenitur in Archivio Status Augustae Taurinorum, cfr. N. Bianchi, *Le materie politiche relative all'estero degli archivi di stato Piemontesi*, Bologna 1876, p. 737.

²⁰¹ Memoriale Stanislaw Smolka ad Dietam Provinciale, 12 III 1892, Rederowa MKH, p. 134.

Alberti Bolognetti, necnon legati extraordinarii Antonii Possevini SJ (qui omnes annis 1578-1585 in Polonia fuerunt)²⁰². Itaque statutum est, ut his imprimis documentis exscribendis et regestis ex eis conficiendis incumbere-tur. Investigationes, ad historiam medii aevi pertinentes, Smolka ad tempus abrumpere decrevit. "Praeter maiorem vigorem, qui recentiorum temporum explorationi inesse solet, consilium hoc nostrum aliis quoque rationibus magis personalibus et ad vitam ipsam pertinentibus ortum est, ita ut dicere au-deamus exemplo nostro alias quoque missiones Romae operantes (Austria-cam et Germanicam) eo attractas esse, ut ad inquisitiones ad historiam re-centiorem attinentes se converterent. Si enim aliquando metuendum esset, ne umquam in posterum facultas tabularia Vaticana libere adeundi quodam-modo circumscriberetur, hoc sane esset considerandum, huiusmodi circum-scriptionem recentiori imprimis historiae investigandae maxime nocituram esse, ad cuius explorationem nunc omnibus liber patet aditus, et in qua inves-tiganda studia et conatus nostri, prosperis his rerum ac temporum adiunctis et gravissimorum virorum nos adjuvantium auctoritate accedente, omni ex parte faciliores reddentur"²⁰³.

His ita decretis atque statutis, inde ab Ianuario a. 1887 omnes expeditio-nis participes in id praesertim mentes suas intenderunt, ut epistulas nuntio-rum, qui Stephano Bathoreo rege in Polonia operati sunt, describerent et regesta ex eis conficerent. Ad Caligarii litterarum commercium explorandum maximo studio Iosephus Kallenbach erat accensus, sed praeter eum etiam Grossé et Krzyżanowski epistulas illius exscribendas curabant; litteris autem Alberti Bolognetti describendis Windakiewicz, Korzeniowski et Rubczyński operam dabant²⁰⁴. Iam 23 III 1887 Korzeniowski Bronislao Dembiński signifi-cabat: " Quod attinet ad nuntiaturas, quae Stephano rege fuerunt, iam eas elaboravimus... Ad nullum aliud tempus cognoscendum tot et tales exstabant fontes, quales ad Stephani tempora habentur"²⁰⁵. De progressu laborum Sta-nislaus Smolka referebat ad Commissionem Historicam Academiae Scien-tiarum in relatione sua de statu investigationis primo anno confectae (quae relatio in sessione 24 X 1887 Cracoviae celebrata in album inscripta est). Qui affirmabat epistulas Caligarii et Bolognetti "ad editionem iam paratas esse ita, ut nonnisi extrema manus eis apponenda sit, quo typis imprimi possint". Labores etiam, cum paranda editione epistularum Possevini coniuncti (quae tum ita cogitabantur, ut in volumine separato ederentur), etiam satis

²⁰² AV, *Nunz. di Polonia*, mss. 14-21 (Caligarii et Bolognetti) et 15A-C et 17A (Possevini).

²⁰³ Memoriale Stanisłai Smolka ad Dietam Provincialem (ut in nota 201), p. 135.

²⁰⁴ Korzeniowski ad Smolka, 8 I 1888, Dużyk LK, p. 45.

²⁰⁵ Dużyk LK, p. 70. Propositio haec refertur ad novos fontes a. 1887 publicatos: *Sprawy wojenne króla Stefana Batorego* [Negotia bellica regis Stephani Bathorei], ed. J. Polkowski (*Acta Historica Res Gestas Poloniae Illustrantia*, Vol. 11), *Dyariusze seymowe roku 1587* [Diaria comitiorum anni 1587], ed. A. Sokołowski (*Scriptores rerum Polonicarum*, Vol. 11) et ad epistulas Vincentii Lauro, a Theodoro Wierzbowski editas.

processerunt. Tota editio cogitata erat sicut continuatio editionis epistularum Vincentii Lauro, quae illo videlicet anno a Theodoro Wierzbowski publicatae sunt. Magni faciebat auctoritatem et vim eiusmodi documentorum Smolka, cuius sententia scripta illa, si publicarentur, "non solum historiam regni Stephani Bathorei mirifice illustrarent, sed minutas etiam quaestiones historiae nostrae, cum altera saeculi XVI dimidia parte coniunctas, luce sua collustrarent". Amplissima, quoad numerum et qualitatem documentorum, quae publicanda erant, editio epistularum ac relationum nuntiorum Caligarii et Bolognetti 5 volumina comprehendere debebat, quorum primum - ab ipso Smolka curatum - iam a. 1888 in lucem proditurum esse sperabatur²⁰⁶.

Huiusmodi Stanislai Smolka opinionem corroboraverunt etiam primae expeditionis fructus - 19 thecae documentis refertae, quae in *Expeditione a. 1886 studiorum causa Romam suscepta* collecta et a "gelido et plerumque tranquillo" Stanislao Windakiewicz 6 commentariis in ephemeride Cracoviensi "Czas" (Tempus) publicatis magno animi ardore concivibus porrecta erant²⁰⁷. Quae in thecis istis continentur, maxima ex parte sunt epistulae nuntiorum, "gemma pretiosissima ac pupilla thesaurorum tabularii Vaticani, et insimul thecarum nostrarum pars maximi momenti et messis nostrae in archivis Romanis factae granum excellentissimum"²⁰⁸.

Res itaque satis manifesta est alterius Expeditionis Romanae participes, Iosephum Korzeniowski et Victorem Czermak²⁰⁹, a. 1887/88, eo temporis spatio, quo tabularia viris doctis inspicienda patent, in id imprimis mentes suas intendisse, ut documenta, ad nuntiaturas, quae Stephano rege in Polonia fuerunt, pertinentia, praesertim vero epistularum commercium Possevini, expleant. Cum tamen Czermak, qui tum videlicet regis Ioannis Casimiri temporum (1648-1668) peritissimus factus est studiosus, ad id genus documenta exscribenda "nimio ardore minime fuerit incensus"²¹⁰, onus hoc paulatim Iosephus Korzeniowski in se recepit. Qui itaque, cum labori huic suo incumberet, in bibliotheca Chisiorum denuo detexit (iam ab Alexandro Przedziecki repertam) satis amplam relationem Horatii Spannocchi, qui ab actis fuit Alberto Bolognetti, negotia religionis postremis regni Stephani Bathorei annis nova ac copiosa luce illustrantem²¹¹. Czermak autem plus vacabat accuratae

²⁰⁶ Cfr. Rederowa MKH, p. 101-102.

²⁰⁷ Commentarii eiusmodi, sub communi inscriptione, *Wyprawa naukowa do Rzymu r. 1886*, prodierunt in numeris eius ephemeridis diebus 12, 13, 15, 16, 17 et 20 Novembris a. 1887; praeter relationem generalem continent etiam pretiosam descriptionem commercii litterarum et actionis nuntiorum, qui rege Stephano fuerunt. De Windakiewicz vide H. Barycz, *Stanisław Windakiewicz*, KH 53 (1946), p. 630.

²⁰⁸ "Czas", 13 XI 1887.

²⁰⁹ Cfr. S. Windakiewicz, *Wyprawa naukowa do Rzymu. Kampania r. 1887/8* [Expeditio studiorum causa a. 1887/8 Romam suscepta], "Czas", 19 IX 1888.

²¹⁰ Korzeniowski ad Smolka, 8 I 1888, Dużyk LK, p. 45.

²¹¹ Korzeniowski ad Smolka, 8 I et 2 III 1888, Dużyk LP, p. 45, 47-48. *Horatii Spannocchii Relazione delle cose di Polonia intorno alla religione 1586* Korzeniowski edidit separatim in *Analectis Romanis*, p.

recensioni documentorum (a Bronislao Dembiński inceptae), quae in sequentibus 33 voluminibus sectionis *Nunziatura di Polonia* (t. 50-82) continebantur²¹² et nuntiaturas Ioannis de Torres (1645-1652), Petri Vidoni (1652-1660) et Antonii Pignatelli (1660-1668) comprehendebant.

Dum his ita laboribus exsequendis operam dabant expeditionis participes, magna illis apparuit copia documentorum, ad bellum illud annis 1659-1660 a Polonis cum Moscovitis gestum pertinentium, quae in voluminibus 70 et 71 actorum Nuntiaturae Polonae continebantur, et quae postea - fere in extenso exscripta - una cum *Ragguaglio del regno di Polonia*, in Bibliotheca Vaticana invento (*Ottob.Lat.* 2477), Victori Czermak tradita sunt, ut illa elaboranda curaret²¹³. Idem Czermak, historicorum Polonorum primus, notavit etiam atque significavit scripta illa minime contemnenda, a nuntiis apostolicis, praesertim ab Ioanne de Torres saepe missa²¹⁴, quae Italice "avvisi" vocantur, et cum alia quaereret documenta ad nuntiaturas, quibus elaborandis operam navabat, attinentia, non solum conspicuam eorum partem in Archivo Vaticano, *Nunziatura di Germania* (ad nuntiaturam Petri Vidoni) et bibliotheca Chisiorum (ad nuntiaturam Ioannis de Torres) invenit, sed etiam iure merito suspicatus est plura eorum reperiri posse in "Palatio Doria Pamfili"²¹⁵, tabulario scilicet, de quo ad illud usque tempus Polonis nihil omnino constabat, et quod nonnisi exacto superiore omnium gentium bello adire potuerunt.

In summa ambo participes expeditionis, a. 1887/88 peractae, circa 100 volumina archivalia perlustrarunt, 45 recensuerunt, 6 in extenso transcribenda curarunt²¹⁶. Quod certo non parum est, praesertim si consideremus labori illi, aliter quam anno superiore, duos tantum rerum gestarum studiosos vacavisse.

Korzeniowski et Czermak non solum propter magnam documentorum abundantiam satis negotii ac facultatis habuerunt. In eorum laboribus facile perspicitur festinatio quaedam, quae inde orta esse videtur, quod explorandis fontibus ad nuntiaturas Polonas spectantibus aliarum quoque nationum rerum gestarum studiosi operam dare coeperant. Autumno enim a. 1887 in Tabulario Vaticano comparuit historiae studiosus Russicus, Nicolaus Ljubovič, Universitatis Varsaviensis professor, auctor eodem anno publicati commentarii de nuntiatura Polona Ioannis Francisci Commendone²¹⁷. Qui Iose-

227-257 (una cum relatione secretarii Io. Francisci Commendone, Pauli Aemilii Giovannini).

²¹² Cfr. Korzeniowski, *Catalogus actorum et documentorum res gestas Poloniae illustrantium, quae ex codicibus manu scriptis et bibliothecis italicis servatis, Expeditionis Romanae cura MDCCCLXXXVI-MDCCCLXXXVIII, deprompta sunt*, BIASC, Comptes-rendus des séances de l'année 1890, Cracoviae 1891, p. 152.

²¹³ Cfr. Windakiewicz, *Wyprawa naukowa*, "Czas", 3 X 1888.

²¹⁴ Ibidem, "Czas", 29 IX 1888. Cfr. infra, p. 125.

²¹⁵ Windakiewicz, *Wyprawa naukowa*, "Czas", 19 IX 1888.

²¹⁶ Ibidem, "Czas", 19 IX 1888. Praeter supra memoratos labores participes Expeditionis anni 1887/8 recensuerunt res Polonicas in sectione AV, *Minutae Brevium* (Arm. 40-42); cfr. Korzeniowski, *Catalogus*, p. 152.

phum Korzeniowski in summam coniecit conturbationem, cum "excerpta ex Caligario" conficere coepisset²¹⁸. Eodem quoque anno in lucem prodiit novum opus - et quidem documentis ex Archivo Vaticano depromptis innixum - Petri Pierling, Societatis Iesu sodalis Russici, auctoris multarum lucubrationum de missione Possevini in Poloniam et Moscoviam peracta²¹⁹, ita ut plane metuendum esset, ne historicus ille, "potentissima imaginandi facultate et eximia scribendi arte praeditus"²²⁰, editioni iam prius decretae epistularum commercii celeberrimi confratris sui quodammodo obsisteret. Coniicere itaque possumus ipsi Pierlingio tribuendum esse, quod postea epistulae Possevini non separatim editae, sed commercio litterarum Caligarii et Bolognetti insertae sint.

Secunda expeditione confecta, moderatores Commissionis Historicae Academiae Scientiarum omnia hucusque collecta documenta imprimis ordinare et recensere statuerunt. Onus hoc Iosepho Korzeniowski impositum est. Ita ortae sunt primae 40 *Thecae Romanae*, quae vocantur, ad quas cum ligatae et conglutinatae essent, viris doctis historiae studiosis Cracoviae in aedibus Academiae aditus patet. Quarum 25, quae primum in Instituto Documentationibus, quod vocant, destinato, deinde in Bibliotheca Academiae Scientiarum Polonae Cracoviae depositae erant, ad nostros usque dies servatae sunt²²¹, reliquae autem perierunt. In quibus, iuxta *Catalogum* Iosephi Korzeniowski²²², nonnisi documenta ad nuntiaturas Caligarii, Bolognetti et Possevini spectantia continebantur²²³. Veri simile esse videtur thecas illas (una cum partibus ceterarum) earum nuntiaturarum editoribus commodatas esse et inde ad collectiones documentorum Academiae nunquam rediisse²²⁴.

Documenta, quae in thecis asservatis continentur, manifesto indicant rerum gestarum studiosos, qui annis 1886-1888 investigandis tabulariis in Italia operam dabant, excepto brevi temporis spatio initiali, fontes ad his-

²¹⁷ Cfr. eius *Papskij nuncij Kommendone v Pol'se* [Nuntius pontificius Commendone in Polonia], "Žurnal Min. Narodnago Prosveščeniya" 1887, p. 68-99, 203-240. H. Giżycki in recensione publicata in KH 1 (1887), p. 517-8 scripsit "nihil fere novi in hoc novo studio inveniri".

²¹⁸ Korzeniowski ad Smolka, 9 XI 1887, Dużyk LK, p. 43.

²¹⁹ *Bathory et Possevino. Documents inédits*, Paris 1887. Prius edidit i.a. *Un nonce du Pape en Moscovie. Préliminaires de la trêve de 1582*, Paris 1884 et *Le Saint-Siège, la Pologne et Moscou, 1582-1587*, Paris 1885.

²²⁰ Cfr. V. Meysztowicz, *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani*, Vaticani 1943, p. 8.

²²¹ Cracoviae, mss. 8357-8381 in Bibl. Academiae Scientiarum Polonae (BPAN).

²²² Cfr. supra, notam 212. Totum catalogum, *Indicem XL "Thecarum Romanarum"* inscriptum, publicavit postea Korzeniowski in AR, p. IX-LXIV.

²²³ In thecis: 5,8-18, 26-28, 34-37. Fragmenta eorum, in unum collecta, servantur hodie in BPAN in mss. 8363, 8364, 8372, 8373, 8377 et 8378.

²²⁴ Cfr. Władysław Bandura, *Opis zbiorów rękopiśmiennych przechowywanych w Zakładzie Dokumentacji Polskiej Akademii Nauk w Krakowie. Teki Rzymskie* [Descriptio documentorum manu scriptorum in Instituto Documentationis Academiae Scientiarum Polonae Cracoviensis servatorum. Thecae Romanae], Kraków 1959, p. 1-9 (in cyclostilo).

toriam nuntiaturae attinentes imprimis quaesivisse. Magni sane momenti sunt, praesertim cum documenta in eis descripta superiore saeviente bello prorsus perierint, indices rerum Polonicarum, a Iosepho Korzeniowski a. 1887 ex *Chartis Farnesianis* Neapoli conscripti²²⁵. Satis etiam sunt pretiosae consignationes commercii litterarum legati Henrici Caetani in bibliotheca Casanatensi Romae²²⁶ atque nuntiorum Vidoni et Pignatelli in Archivo Vaticano, *Nunziatura di Germania*, custoditae²²⁷. Adhuc pretiosiora esse videntur apographa et regesta epistularum Ioannis Francisci Commendone ad Polonos datarum, quae in Archivo Vaticano, *Lettere di Principi et Nunziatura di Polonia* servantur²²⁸. Alicuius ponderis sunt etiam epistulae Vincentii Lauro a Theodoro Wierzbowski non editae, necnon praetermissum ab editoribus, eo quod valde imperfectum fuerit, litterarum commercium ultimi ex nuntiis, qui rege Stephano fuerunt, Hieronymi de' Buoi (1585-1586), et tandem epistulae Ioannis de Torres et Petri Vidoni - quae omnia ex Archivo Vaticano, *Nunziatura di Polonia*, deprompta fuerunt²²⁹. A ceteris omnino differunt: theca 30 - quae in 270 foliis continet ex variis fontibus collecta apographa epistularum Polonorum ad summos pontifices annis 1560-1584 datarum²³⁰; theca 4 - quae in 64 foliis habet *Instructiones pro nuntiis S. Sedis ad reges Poloniae legatisque datas 1472-1585*²³¹; theca 6 - in qua Korzeniowski ex variis locis congegessit documenta ad nuntios, qui Sigismundo Augusto rege in Polonia fuere (Lippomano, Mentovato, Bongiovanni et Dal Portico - sine Commendone et Ruggiero)²³². In theca 28 collecta fuerunt apographa 6 relationum finalium nuntiorum, qui in limitibus actionis utriusque Expeditionis Romanae (i.e. ad a. 1669) comprehensi erant²³³.

Cum historiam investigationis hucusque peractae et documenta in ea collecta breviter consideramus, facile perspicimus initio institutam regulam iuxta ordinem nuntiorum chronologicum in exploratione procedendi a Victore Czermak violatam esse. Talis violatio Stanislae Smolka manifesta erat, propterea illis, qui tertiae expeditioni annis 1888-1889 interfuerunt, mandavit, ut lacunas inde a nuntiatura Hannibalis de Capua (1586-1591) et legatione card. Hippolyti Aldobrandini (1588-1589) explendas curarent. Exploratio Stanislae Windakiewicz demandata est, adiunctis ei adiutoribus Vitoldo Rubczyński et sac. Ioanne Fijałek. Omnes sumptus cum hoc incepto coniunc-

²²⁵ Theca 1 (ms. 8357 in BPAN, p. 559-561).

²²⁶ Thecae 1 et 38 (mss. 8357 et 8379 in BPAN).

²²⁷ AV, *Nunziatura di Germania*, mss. 156-172. Consignatio in theca 2 (ms. 8358 in BPAN).

²²⁸ AV, *Lettere di Principi*, mss. 24 et 26, *Nunz. di Polonia*, mss. 5 et 27B. Regesta et apographa in theca 33 (ms. 8376 in BPAN).

²²⁹ AV, *Nunz. di Polonia*, mss. 22, 52-52, 71. Apographa in thecis 19-23. (mss. 8365-8371 in BPAN).

²³⁰ Nunc ms. 8375 in BPAN.

²³¹ Nunc in BPAN, ms. 8360.

²³² Theca haec postea transiit ad *Thecas Nuntiaturarum* 1-4.

²³³ Fragmenta in ms. 3873 in BPAN.

tos Dieta Provincialis Galiciensis in se recepit, ratio vero studiorum et investigationum ab Iosepho Korzeniowski elaborata est²³⁴.

Quae tamen ratio ipsi Windakiewicz minus placuit. Usu enim et experientia primae partis laborum expeditionis, cui praeerat, didicit, quibus vitiis conceptio ipsa et ordinatio investigationis laboraverit. Tres, eius sententia, imprimis errores commisi erant, quam celerrime corrigendi. Primus error in eo constitit, quod "omnes in omnibus occupati erant", nullo singulis expeditionis participibus proprio et peculiari munere demandato. Secundus in eo, quod omnia typis mandanda documenta secundum ordinem chronologicum, non autem secundum personas et eventus ordinabantur, quod, sua quidem sententia, ad magnam rerum perturbationem perduxit. Tertius error fuit, quod iuxta hucusque observatam regulam unicuique expeditionis participi soli decernere licuit, utrum documenta, quae elaboranda curaret, in extenso vel in fragmentis exscribenda essent, an solummodo eorum summaria vel brevissima regesta conficienda. Ut eiusmodi errores in posterum vitarentur, Windakiewicz ipso die natali Christi a. 1888 laboribus, cum colligendis documentis ad edendam nuntiaturam Hannibalis de Capua coniunctis, ipse in persona praeesse statuit, documenta vero, quae ab Ioanne Fijałek et Vitoldo Rubczyński exscribebantur, ipse consignavit et prorsus novam rationem ac regulam elaborandae nuntiaturae Hannibalis de Capua (*Projekt i zasady opracowania nuncjatury Hannibala z Kapui*), conscribendam curavit, quam una cum relatione de laboribus ab expeditionis participibus a 12 XI ad 22 XII confectis ("datum in Expeditione 25.12.88.") moderatoribus Academiae Cracoviam transmisit²³⁵. In qua - ad demonstrandam dissimilitudinem ac distinctionem editionis Polonae ab editionibus exteris, quae tum etiam parabantur (*Nuntiaturberichte*) - proposuit, ut compositio ipsa publicationis radicibus mutaretur. Quae sua sententia 6 partibus constare deberet: commercio epistularum Polonorum directe cum Sede Apostolica habito, commercio litterarum nuntii cum Curia Romana, documentis ad legationem Hippolyti Aldobrandini attentibus, commercio epistularum nuntii cum hominibus exteris (Venetiis, Vindobonae etc.), commercio epistularum nuntii cum Polonis et tandem documentis ad nuntiaturam directe non pertinentibus.

Propositum hoc iam ex compositione primae ex 6 thecis, fructum expeditionis a. 1888/89 efficientibus, perspicui potest (Thecae Romanae 41-46)²³⁶.

²³⁴ Cfr. Relationem Stanislai Smolka in Supremo Consilio Confessionibus Religiosis et Institutioni Publicae praeposito, 30 IX 1891 factam. Rederowa MKH, p. 127-128.

²³⁵ *Manu propria scripta relatio et Projekt* inveniuntur in Theca Romana 41 (BPAN, ms. 8382), p. 1-14.

²³⁶ Mss. 8282-8387 in BPAN. Continent apographa, summaria et consignationes 590 epistularum Hannibalis de Capua et 183 Hippolyti Aldobrandini, necnon appendices, plerumque ex AV, *Nunz. di Polonia*, mss. 23, 25-34A; AV, *Lettere di Principi*, mss. 47, 50-51 et ex AV, *Nunz. di Germania*, mss. 108-113 de promptos. Cfr. etiam *Compte-rendu des recherches faites aux archives du Vatican sur les matières à servir l'histoire de Pologne*. BIASC N. 2, Février 1889, p. XXII-XXIII; N. 5, Mai 1989, p. XXII-XXIII.

In qua ad documenta, secundum novam regulam ordinata, Windakiewicz adiunxit in fine elenchum chronologicum rerum, quae nuntio Hannibale de Capua acciderunt, indicem bibliographicum, vitas nuntii, Sixti V pontificis maximi et cardinalium, qui in documentis quodammodo occurrunt, excerpta ex brevibus pontificiis, claves notis secretioribus explanandis aptas etc. Ita sub finem anni 1889 Poloni rerum gestarum studiosi non solum documenta ad subsequentis nuntiaturae historiam elaborandam consecuti sunt, sed etiam severam satis aestimationem operae Expeditionis Romanae hactenus peractae atque indicationem, quomodo in posterum huiusmodi opera radicitus mutanda esset, didicerunt. Cum "rationem" Stanislai Windakiewicz iudicamus, iam posteriorum explorationum exitu cognito, conatus illius eo conversos, ut in posterum in colligendis fontibus novis erroribus iretur obviam, quam iustissimos fuisse agnoscere cogimur, consilium vero eius formam editionis radicitus mutandi nimis a via illa deflexisse videtur, quam exteri nuntiaturarum editores tum ingressi erant, et propterea non est acceptum. Quamobrem infelix Hannibal de Capua integrum fere saeculum expectare debuit, donec alius aliquis editor nuntiaturam eius tertio elaborandam aggredi auderet.

Procul dubio meritum Stanislai Windakiewicz fuit, quod - licet consilia eius partim repudiata sint - moderatores Commissionis Historicae Academiae Scientiarum convincere scivit necessitatis aliqua tandem ex collectis documentis publicandi. Quocirca Stanislaus Smolka proposuit, ut participibus expeditionis a. 1889/90 "tria peculiaria munera imponerentur documenta annis 1886-1888 collecta omni ex parte supplendi"²³⁷. Itaque Windakiewicz et Felix Koneczny explendis tantummodo documentis ad missionem Possevini in Polonia, Russia et Suecia (1579-1585), ad societatem bellicam adversus Turcas annis 1582-1586 constituendam²³⁸ (documenta ad has duas editiones, initio separatim cogitatas, coniungentur postea cum commercio epistularum Calligarii et Bolognetti), necnon ad edenda ignota Philippi Callimachi poemata, iam a. 1886 in bibliotheca Barberiniorum et Vaticana reperta²³⁹, quibus elaborandis - ut opus suum explorandis tabulariis dedicatum coronaret (postea enim hortatore Smolka ad monumenta litterarum indaganda se convertit) - Stanislaus Windakiewicz animum intendit²⁴⁰, operam dare debebant.

Hac itaque expeditione ad finem adducta, multa documenta nova nondum reperta Cracoviam asportari non potuerunt. Una sola *Theca Romana* (47)

²³⁷ Relatio Stanislai Smolka, 30 IX 1891, Reclerowa MKH, p. 128.

²³⁸ Huic quaestioni L. Boratyński dedicavit postea dissertationem: *Stefan Batory i plan ligi przeciw Turkom 1576-1584* [De Stephano Bathoreo et societate bellica adversus Turcas annis 1576-1584 cogitanda], in: *Rozprawy Akademii Umiejętności. Wydział Historyczno-Filozoficzny* [Dissertationes Academiae Scientiarum. Sectio Historico-Philosophica], series II, Vol. 19, Kraków 1903.

²³⁹ Cfr. S. Windakiewicz, *O rękopisach poezji Kallimacha* [De manuscriptis carminum Callimachi], KH 5 (1891), p. 359-368. Apographa servantur in theca Romana 40 (ms. 8381 in BPAN), p. 15-27.

²⁴⁰ Cfr. S. Smolka, *Rapport sur les recherches faites dans les archives de Rome* [1889/1890], BIASC, Cracovie 1891, p. 136. Cfr. H. Barycz, *Stanisław Smolka*, p. 349-351.

continet apographa et consignationem documentorum, a Felice Koneczny, dum fontes ad "occultum" illud consilium societatis bellicae contra Turcas ineundae pertinentes quaerebat, Florentiae repertorum²⁴¹.

Qui expeditioni a. 1890/91 interfuerunt, iterum in colligendos fontes, ad historiam Poloniae regibus ex familia Vasa in ea regnantibus illustrandam pertinentes, animum intenderunt. Cum tamen animadvertissent in sectione *Nunziatura di Polonia* defuisse epistulas nuntiorum, qui postremis saeculi XVI annis et primis viginti annis saeculi XVII fuerunt, quas Smolka in tabulario principum Borghese reperire sperabat, ad quod expeditionis participes, Victor Czermak et Iosephus Biela, praeter tot temptamina conatusque non erant admissi, itaque statutum est, ut - antequam supradictum tabularium adire possent - recensendis et elaborandis documentis ad regnum Vladislai IV (1632-1648) pertinentibus et generali tabulariorum Venetorum explorationi operam navarent. Smolka, cum 30 IX 1891 a. moderatores Supremi Consilii Confessionibus Religiosis et Publicae Institutioni praepositi de his et prioribus investigationibus certiores faceret, addebat etiam labores, cum apparanda editione nuntiaturarum, quae Stephano Bathoreo rege in Polonia fuerunt, coniunctos, bene procedere, et additicia subsidia pecuniaria postulabat²⁴². Eandem informationem repetivit sex mensibus post, cum 12 III 1892 a. ad Dietam Provinciale scriberet et voluntatem membrorum Commissionis Historicae Academiae Scientiarum confirmaret, ut posteriores expeditionis labores ad colligenda tantum et typis edenda acta et epistularum commercia nuntiaturarum circumscriberentur, documentis ad medium aevum attinentibus omnino omissis.

Nuntiabat etiam Smolka Victorem Czermak munus sibi commissum, ut scil. acta ad tempora Vladislai IV et initia regni Ioannis Casimiri spectantia elaboraret, omnino explevisse²⁴³. Res tamen paululum aliter se habuit. Czermak ipse aperte fatetur se epistulas Marii Filonardi, a. 1637-1639 datas, invenire non potuisse²⁴⁴. Cum operis sui coram Academia rationem redderet, diligens ille tabulariorum explorator suppeditavit etiam primas, brevissimas quidem, sed optime scriptas notitias, ad nuntiaturas Honorati Visconti, Marii Filonardi et Ioannis de Torres pertinentes²⁴⁵.

²⁴¹ BPAN ms. 8388. Sunt plerumque epistulae Polonorum ad Mediceos, in Archivo Status *Fondo Mediceo Vecchio*, ms. 4292, repertae. Documenta ad missionem Possevini pertinentia, a Korzeniowski ex AV, *Nunz. di Germania* 92 et 93 descripta, supplent illa, quae iam prius ab A. Turgenev, P. Pierling et A. Theiner edita sunt. Cfr. Smolka, *Rapport*, p. 136-142.

²⁴² Rederowa MKH, p. 129.

²⁴³ *Ibidem*, p. 134-135. Investigationem in tabulario status Veneto mense Iulio 1891 effecit Victor Czermak, ubi tamen nonnisi epistulas oratoris Veneti in Polonia, Ioannis Tiepolo, invenit. Cfr. V. Czermak, *Rapport sur les travaux de la mission de Rome en 1890/1*, BIASC, Séances de l'année 1891, Cracovie 1891, p. 361.

²⁴⁴ *Rapport*, p. 358.

²⁴⁵ *Ibidem*, p. 355-360. Apographa conficiebantur ex AV, *Nunz. di Polonia* 43, 45-51, 55-56 et ex Bibl. Barberini, mss. *Barb. Lat.* 1634-1643. Cfr. *ibidem*, p. 355, 360.

Interea temporis Leo XIII pontifex maximus archivum Burghesiorum comit idque Tabulario Vaticano adiungi iussit. Itaque ad explendas ex eo lacunas in documentis ad nuntiaturas, quae annis 1591-1632 Sigismundo III rege in Polonia fuere, spectantibus, a. 1891/92 Ludovicus Boratyński et Thaddeus Sternal Romam missi sunt. Mox tamen accessum ad "Burghesiana" viris doctis nondum patere didicerunt, propterea quod documenta illa adhuc in ordinem redigenda et recensenda erant. Rebus sic stantibus Stanislaus Smolka, constitutae iam investigationum rationi renuntiare nolens, utrique exploratori mandavit, ut disparata ad idem temporis spatium pertinentia, in sectione *Nunziatura di Polonia* et in bibliothecis familiarum Barberini et Buoncompagni asservata, explorarent elaborarentque. Toto isto tempore insimul 3 millia documentorum aut etiam supra perlustrata sunt, quorum pars in epitomen coacta, pars in extenso descripta sunt. In adducendo eorum repertorio et describendo singulorum nuntiorum (a Francisco Simonetta ad Honoratum Visconti) epistularum commercio, Smolka imprimis in medium protulit miram quandam accuratorem et veritatem informationum Ioannis Baptistae Lancellotti (1622-1627)²⁴⁶.

In una tantum re participes expeditionis a. 1891/92 temporibus Sigismundi III regis, quae exploranda sibi initio praestituerant, egressi sunt, in eo videlicet, quod futurarum expeditionum operam iam quodammodo praeparabant, id est volumina ex sectione *Nunziatura di Polonia* (vol. 92-118, secundam partem regni Michaelis Wiśniowiecki et totum regnum Ioannis III Sobieski, ab a. 1675 ad 1697, complectentia) accurate recensere et in inventario scribere pergebant²⁴⁷.

Autumno anni 1892 ad copiosissimas Burghesiorum collectiones in Tabulario Vaticano viris doctis aditus tandem permissus est. Quocirca participes expeditionis a. 1892/93, Ludovicus Boratyński et Alexander Czuczyński, explendis documentis, ad nuntiaturas, quae Sigismundo III rege in Polonia fuerunt, attinentibus, extremam manum apponere potuerunt - "munus, cui obeundo L. Boratyński magno ardore et studio totum se dedit"²⁴⁸. Non tamen postpositae sunt investigationes ad tempora Vladislai IV regis pertinentes. Collecta documenta interea temporis sic ordinabantur: 1) epistulae Secretariatus Status ad nuntios annis 1615-1617 et 1632-1637 datae²⁴⁹; 2) epistulae

²⁴⁶ Cfr. S. Smolka, *Sprawozdanie z prac archiwalnych w Archiwum Watykańskim i innych archiwach rzymskich za rok 1892* [Relatio de laboribus in Archivo Vaticano aliisque tabulariis Romanis a. 1892 peractis], BIASC, *Comptes rendus des séances de l'année 1893*, Cracoviae 1893, p. 109 (tota relatio in p. 106-112).

²⁴⁷ Cfr. ibidem, p. 112 et relationem S. Smolka in Academia factam (Rederowa MKH, p. 134-135).

²⁴⁸ S. Smolka, *Sprawozdanie z prac archiwalnych w Archiwum Watykańskim i innych archiwach rzymskich za rok 1893* (Compte rendu des recherches faites aux Archives du Vatican et dans d'autres collections romaines en 1893), BIASC, *Comptes rendus des séances de l'année 1894*, Cracoviae 1894, p. 26.

²⁴⁹ AV, *Fondo Borghese* II 358 et *Nunz. di Polonia* 175 et 177. Fusius in *Sprawozdanie* (a. 1893) Stanisłai Smolka, p. 26.

a nuntiis ad Secretariatum Status annis 1592-1621, et 1634 et 1652 missae²⁵⁰; 3) regum Poloniae epistularum commercium cum summis pontificibus, idem temporis spatium comprehendens²⁵¹.

Smolka, de opera Ludovici Boratyński eiusque collegae ad Academiam referens, nuntiat illos duo millia documentorum perlustrasse, quorum tamen nonnisi ea, quae maximi momenti visa essent, in extenso exscripsisse. Significat etiam magni momenti epistulas Germanici Malaspina, cuius nuntiatursae (1592-1598) primam et hucusque unicam, brevem descriptionem historicam nobis suppeditat²⁵². Quasi appendix ad illius expeditionis exitum et fructus fuerunt, in abbacia Nonantula prope Mutinam forte fortuna inventa, regesta epistularum Alberti Bolognetti, annis 1583-1584 datarum²⁵³.

Documenta, a participibus expeditionum a. 1890-1893 collecta, Cracoviae in uno compacto Thecarum Romanarum corpore (thecae 48-73) comprehensa sunt²⁵⁴. Quod magna ex parte constat summariis et excerptis (numerus documentorum in extenso descriptorum multo minor est quam in thecis praecedentibus) ex commerciis litterarum nuntiorum, qui annis 1592-1652 munere suo functi sunt (a Germanico Malaspina usque ad Ioannem de Torres), partim habita ratione regnorum Sigismundi III et Vladislai IV usque ad annum 1637²⁵⁵, partim secundum singulas nuntiatursas ordinatis²⁵⁶. Thecae 69-72 continent apographa et summaria epistularum commercii regum Poloniae cum pontificibus Romanis, qui illo temporis intervallo fuerunt²⁵⁷, in theca autem 73 collocata sunt annexa ad epistulas nuntiorum, annis 1594-1629 (sine consignatione) datas²⁵⁸. Theca 51, compendia et summaria litterarum, annis 1592-1593 a nuntio Malaspina datarum et acceptarum, continens, periit. Theca illa anno 1909 Eugenio Barwiński, qui verisimiliter editionem actorum eiusdem nuntii curare debebat, mutuo data erat²⁵⁹. Documenta, ad regna Michaelis Wiśniowiecki et Ioannis III Sobieski pertinentia, postea in thecis 86-101 collocata sunt.

Scripta in thecis, quae non perierunt, contenta, satis cruda sunt (si ita dici potest), multis lacunis et omissionibus abundant et fere omnia ex Archivo

²⁵⁰ Multa volumina manuscriptorum ex AV, *F. Borghese et Nunz. di Polonia* 60 et 177 (ad Visconti et de Torres). Cfr. Smolka, ut supra, p. 26-27.

²⁵¹ Praesertim ex bibliothecis Barberini, Corsini et Vallicelliana. Fusius in *Sprawozdanie* St. Smolka (ut supra), p. 27.

²⁵² *Sprawozdanie*, p. 27-31.

²⁵³ *Ibidem*, p. 32.

²⁵⁴ Mss. 8389-8413 in BPAN Cracoviae.

²⁵⁵ Thecae 48-50, annos 1592-1609, 1609-1632, 1632-1637 comprehendentes; hodie in BPAN, mss. 8389-8391.

²⁵⁶ Thecae 52-67 (BPAN, mss. 8392-8407) et theca 68 (8408), apographa variorum documentorum ad nuntios Malaspina, Rangoni, Simonetta et Diotallevi spectantium continens.

²⁵⁷ Mss. 8409-8412 in BPAN.

²⁵⁸ *Ibidem*, ms. 8413.

²⁵⁹ Cfr. W. Bandura, *Opis zbiorów*, p. 17.

Vaticano, *Nunziatura di Polonia*²⁶⁰ et *Fondo Borghese*²⁶¹, necnon ex rerum Polonicarum collectionibus, in bibliothecis Barberini²⁶² et Buoncompagni²⁶³ asservatis, deprompta sunt. Apographa satis accurate, saepe tamen sine indicatione eorum originis, confecta esse videntur.

Conclusa expeditione a. 1892/93, labores Commissionis Historicae Academiae Scientiarum, qui initio in exploranda documenta ab ipsis nuntiaturis producta imprimis intenti erant, paulatim labefactari coeperunt. Cuius rei causa fuit primum infirma valetudo praefecti expeditionis, Stanislai Smolka, deinde munera et officia, quibus in Athenaeo Cracoviensi oneratus erat (cuius etiam rectoris munere annis 1895-1896 fungebatur). Eisdem ob causas pluries annuntiata editio nuntiarum, quae Stephano rege fuerunt, parum processit²⁶⁴. Itaque pedetemptim, loco Stanislai Smolka, Vladislaus Abraham expeditionibus praeesse coeperat, qui nulla interposita mora vel dubitatione in explorandos fontes ad medium aevum spectantes animum intendit. Sic ergo annis 1893/94 nuntiaturae omnino posthabita et neglectae sunt. Annis vero 1894/95 solus Iosephus Szczepański Romae operatur, "prius - ut scribebat Smolka - me magistro in explorandis documentis ad regnum Ioannis III... pertinentibus multo negotio exercitatus"²⁶⁵. Expletis itaque atque ditatis apographis prius confectis, Szczepański fundamenta iacuit futuris Thecis Romanis 86-101, quae annis aliquot sequentibus novis repertis suppletas et locupletatas, in unum compactum corpus excreverunt, quo apographa et compendia epistularum commercii nuntiorum Buonvisi, Martelli, Pallavicini, Cantelmi et Andreae Santacroce, annos 1675-1697 complectentis, comprehenduntur. Documenta haec eo tamen ordine exscripta vel in epitomen coacta sunt, quo in singulis voluminibus manu scriptis, praecipue in Archivo Vaticano, *Nunziatura di Polonia*, et in bibliotheca Barberiniorum servatis, collocata erant²⁶⁶.

Thecae a Szczepański confectae, propter documentorum in illis collectorum chronologiam, nonnisi post Thecas Romanas 74-85 collocatae sunt, quae praetermissum antea commercium epistularum nuntiorum apostolicorum Ioannis de Torres (1645-1652)²⁶⁷, Petri Vidoni (1652-1660)²⁶⁸, Antonii Pignatelli

²⁶⁰ Mss. 22, 35, 37A-56, 173-175, 177, 192, 217-219.

²⁶¹ Praesertim litterarum commercium nuntiorum Malaspina, Simonetta et Diotallevi, in multis voluminibus in omnibus quattuor sectionibus huius *Fondo* servatum.

²⁶² Hodie BV, *Barb. Lat.* 6574-6596 (apographa pro annis 1634-43 confecit Czermak iam a. 1891, cfr. *Rapport*, p. 360).

²⁶³ Hodie BV, *Fondo Buoncompagni*, mss. E. 34-40; cfr. supra, cap. I, p. 60-61.

²⁶⁴ Cfr. Barycz, *Smolka*, p. 166, 206-211.

²⁶⁵ Barycz, ut supra, p. 166.

²⁶⁶ Cfr. BPAN, mss. 8426-8441. Mss. 8442-8446 (thecae 101-105) continent apographa litterarum commercii aliorum informatorum cum cardinalibus Barberini (i.a. confessoris Ioannis III Sobieski, Mauritii Vota SJ), in bibliotheca Barberiniorum servati (BV, *Barb. Lat.* 6655-6658).

²⁶⁷ Thecae 74-76 (BPAN, mss. 8414-8416).

²⁶⁸ Thecae 77-82 (BPAN, mss. 8417-8422).

(1660-1668)²⁶⁹, et Galeatii Marescotti (1668-1670)²⁷⁰ continebant. Eodem quoque ordine, quo in manuscriptis archivalibus disposita erant, documenta haec ab unico quoque et ultimo, ante longius intervallum, expeditionis 1895-1896 anni particeps, Bronislao Gubrynowicz, exscribebantur²⁷¹. Expeditiones enim annorum 1896/97 et sequentium ab exploratoribus medii aevi prorsus occupatae sunt²⁷².

Primo itaque decennio, quo Expeditiones Romanae operam suam praestiterunt (1886/7-1896/7), Cracoviae collectae sunt 111 thecae apographis referatae, inter quas 67 thecae continentes epistulas nuntiorum ad Secretariatum Status annis 1555-1697 datas (exceptis aliquot annis regni Michaelis Wiśniowiecki) et 5 thecae solas instructiones complectentes²⁷³.

4. De Expeditionibus Romanis et primis editionum temptaminibus annis 1896-1928 susceptis.

Annis 1896-1904 ratio et modus colligendi atque elaborandi fontes, ad historiam nuntiaturae Polonae attinentes, non parum mutata sunt. Licet enim huiusmodi studia ex laboribus participum Expeditionum Romanarum exclusa sint, affirmari tamen non potest illa omnino intermissa vel abrupta esse. Itaque Vladislaus Abraham, qui explorandis fontibus ad historiam medii aevi spectantibus praecipue intentus erat, non dubitabat tamen diligenter annotare et viris doctis significare documenta ad nuntiaturam pertinentia. Sic igitur cum res Polonicas in Tabulario Arcis S. Angeli servatas accurate recenseret, repperit i.a. fragmenta instructionum et relationum Vincentii Dal Portico (1568-1572), necnon notas secretiores, quibus internuntius Antonius Graziani a. 1573 utebatur²⁷⁴, in sectione vero *Miscellanea* nuncupata invenit apographa multarum instructionum relationumque variorum nun-

²⁶⁹ Thecae 83-84 (BPAN, mss. 8423-8424).

²⁷⁰ Theca 85 (BPAN, ms. 8425).

²⁷¹ Rederowa, *Zestudiów*, p. 204; Bandura, *Opis zbiorów*, p. 23.

²⁷² Cfr. Smolka ad V. Zakrzewski, 6 VII 1897, *Materiały*, p. 172.

²⁷³ Cfr. *Spis "Tek Rzymskich" obejmujący materiały Archiwum Watykańskiego oraz innych archiwów i bibliotek włoskich do dziejów Polski, opracowanych przez t. z. "Ekspedycję Rzymską" w latach 1888-1897* [Elenchus "Thecarum Romanarum", documenta ex Archivio Vaticano aliisque tabulariis et bibliothecis Italicis ad historiam Poloniae pertinentium, ab "Expeditione Romana" annis 1886-1897 elaborata, comprehendentium], BIASC, *Comptes rendus des séances de l'année 1898*, Cracovie 1898, p. 55-58. Eiusmodi ordinatio, quam secuta est permutatio successionis thecarum 74-85 et 86-105, exorta est ex novi catalogi thecarum praeparatione (cfr. ibidem, p. 56). Thecae 106-111 (postea ex Thecis Romanis depromptae et ex toto typis mandatae) continebant documenta ad medium aevum attinentia, cfr. Bandura, *Opis zbiorów*, p. 32.

²⁷⁴ Wł. Abraham, *Sprawozdanie z poszukiwań w archiwach i bibliotekach rzymskich w latach 1896/7 i 1897/8* [Relatio de investigationibus in tabulariis et bibliothecis Romanis annis 1896/7 et 1897/8 peractis], in: *Archiwum Komisji Historycznej Akademii Umiejętności*, T. 9, Kraków 1902, p. 19.

tiorum, qui saeculis XVI et XVII munere suo functi sunt²⁷⁵. A. 1903, primus inter Polonos, perlustrare coeperat volumina Additamentorum, quae sectioni *Nunziatura di Polonia* adiuncta erant, necnon collectiones *Fondo Garampi* (ubi invenit i.a. supra memoratum manuscriptum primae adumbrationis *Synopsis Garampianae*)²⁷⁶. Pretiosissimum eius repertum, in Bibliotheca Vaticana factum, fuerunt duo volumina, concepta et autographa litterarum commercii nuntii Marii Filonardo (1635-1643) continentia²⁷⁷. In spem ingressus inveniendi aliquid eorum, quae ad studia aevi medii pertinent, Abraham a. 1896 bibliothecam quoque Iosephi Garampii quaerebat, quam Arimini in Romaniola invenire sperabat²⁷⁸. Ad documenta huiusmodi indaganda se converterunt postea viri docti nuntiatarum studiosi, quae tamen a subsequentium Expeditionum Romanarum participibus non describebantur, et propterea in Thecis Romanis desunt.

Attamen opera ab illis praestita, qui explorandis imprimis aevi medii monumentis erant intenti, Stanislao Smolka non satis fuisse videbatur. Propterea iam 6 VII 1897 a. proposuit Vincentio Zakrzewski, qui tunc Commissioni Historicae Academiae Scientiarum praefuit, ut Adamo Darowski, inde ab a. 1894 in Italia habitanti rerum gestarum studioso et diurnario scriptori, provinciam demandaret describendi epistulas nuntiorum, annis 1670-1675 (regnante scil. in Polonia Michaele Wiśniowiecki) datas, quae in Thecis Romanis deerant²⁷⁹. Eiusmodi consilium placuit, et Darowski, una cum alio mercede conducto scriptore, annis 1897-1901 confecit accurata apographa integrorum voluminum, epistulas Galeatii Marescotti, Francisci Nerli et Angeli Ranuzzi continentium, in Tabularii Vaticani sectione *Nunziatura di Polonia* servatorum, necnon excerpta ex aliis documentorum complexibus a Smolka indicatis²⁸⁰.

Documenta haec, ab Adamo Darowski collecta, continentur hodie in Thecis Romanis 116 et 120²⁸¹. Theca autem 122 continet miculas epistularum commercii Berardi Bongiovanni, Ioannis Francisci Commendone, Vincentii Dal Portico et Vincentii Lauro, annos 1561, 1564-1566, 1569-1570 et 1574-1577 complectentes, ex AA I-XVIII ms. 71 descriptas²⁸². Magni momenti esse vide-

²⁷⁵ Servantur plerumque in *Misc. Arm. II* (olim *Politicorum Varia*), cfr. *Sprawozdanie*, p. 48-50.

²⁷⁶ Cfr. Wl Abraham, *Sprawozdanie z poszukiwań w archiwach i bibliotekach rzymskich do dziejów Polski w wiekach średnich za lata 1899-1913* [Relatio de investigationibus in tabulariis et bibliothecis Romanis, ad historiam Poloniae aevi medii pertinentibus, pro annis 1899-1913], in: *Archiwum Komisji Historycznej Akademii Umiejętności*, Seria II, T. 1, Kraków 1923, p. 20-21.

²⁷⁷ BV, *Vat. Lat.* 8472, 8473. Cfr. *Sprawozdanie* (an. 1896-8), p. 175.

²⁷⁸ Abraham ad Smolka, Romae 8 XII 1896. Rederowa MKH, p. 157.

²⁷⁹ Rederowa MKH, p. 171-172.

²⁸⁰ Smolka ad Darowski, 7 I 1898. Rederowa MKH, p. 175. Cfr. etiam relationem St. Smolka de laboribus participum expeditionis, 6 II 1900 (ibidem, p. 193). Cfr. Rederowa, ut supra p. 208.

²⁸¹ Mss. 8456 et 8460 in BPAN (ex AV, *Nunz. di Polonia*, mss. 83-88).

²⁸² BPAN, ms. 8462.

tur ultima numerata Theca Romana 126, continens apographa et consignationes circa 380 epistularum, quae a Polonis et nuntiis apostolicis in Polonia ad Alexandrum Farnesium, cardinalem Regni Poloniae protectorem, datae erant. Quae epistolae, priusquam altero saeviente omnium gentium bello deletae essent, Neapoli in Tabularii Status sectione, *Carte Farnesiane* appellata, servabantur. Darowski, Stanislai Smolka et Iosephi Kallenbach consilia secutus, annis 1898-1900 documenta eiusmodi elaboravit²⁸³. Incertum tamen est, quis fuerit auctor neglegenter confecti apographi actorum causarum iudicialium, quas a. 1556 nuntius Aloisius Lippomano contra episcopos Ioannem Drohojowski et Andream Zebrzydowski, haereseos suspectos, instituit. Exemplar huius documenti, ex manuscripto D. 175 inf. Bibliothecae Ambrosianae Mediolanensis conscriptum, continetur in Theca Romana 124 et adnotatione praeditum est, iuxta quam notitiam de hoc manuscripto doctor Ambrosianae, rev.mus Achilles Ratti, significavit²⁸⁴. Susplicari possumus exemplar illud ab ipso Kallenbach (vel ipsius mandato) festinanter confectum esse, qui a. 1889 explorationes peragebat etiam Mediolani, ubi - primus ex Polonis - Bibliothecam Trivultianam perlustravit et in ea i.a. repperit aliquot epistulas Ioannis Francisci Commendone ex Polonia datas et aliud exemplar relationis Iulii Ruggieri²⁸⁵.

Annus 1901, ad historiam nuntiaturae Poloniae explorandam quod attinet, fatalis dici potest. Stanislaus Smolka, cum omnes conatus permanentis alicuius stationis studiorum Poloniae in Urbe instituendae irritos fuisse vidisset, tum investigationi fontium ad nuntios apostolicos in Polonia attinentium, tum parandae editioni nuntiaturarum, quae Stephano Bathoreo rege fuere, sua sponte renuntiavit²⁸⁶. Quod suum institutum antecessit decretum Commissionis Historicae Academiae Scientiarum, 6 II 1900 a. promulgatum, de omnibus laboribus, cum eiusmodi editione coniunctis, novae seriei, *Monumenta Vaticana Poloniae* nuncupatae, subiciendis, in qua documenta a medii aevi exploratoribus collecta publicari debebant²⁸⁷. Quamobrem praeses Commissionis, professor Boleslaus Ulanowski, 19 XII 1901 a. pactionem cum Adamo Darowski factam rescidit et operae eius renuntiavit²⁸⁸. Sic Tabulario Vaticano historiae medii aevi navi et industrii exploratores iterum potiti

²⁸³ Hodie in BPAN, ms. 8466. Continet accuratissimum indicem Polonicorum, in omnibus 1842 tunc existentibus libellis eiusdem tabularii. In f. 383-422 completa apographa inveniuntur. In Theca Romana 125 (BPAN, ms. 8465) habentur summaria et consignationes Polonicorum ex Archivo Status Parmensi (etiam Farnesiana), desunt tamen inter illa - praeter paucas exceptiones - epistolae nuntiorum.

²⁸⁴ Cfr. BPAN, ms. 8464, p. 1. In textu exemplaris leguntur correctiones, manu Vincentii Zakrzewski factae. Ratti fuit doctor et praefectus Bibliothecae Ambrosianae annis 1888-1912, cfr. Tab. LVII.

²⁸⁵ Mss. 751 et 1352. Cfr. J. Kallenbach, *Wiadomość o bibliotece "Trivulziana" w Medyolanie* [Notitia de bibliotheca "Trivulziana" Mediolani], KH 15 (1900), p. 44-51.

²⁸⁶ Cfr. Barycz, p. 216. Rederowa arbitratur eum iam a. 1900 huic editioni parandae renuntiasse (*Ze studiów*, p. 231).

²⁸⁷ Rederowa MKH, p. 193, 201-202.

²⁸⁸ Litterae Boleslai Ulanowski ad Adamum Darowski. Rederowa MKH, p. 212-213.

sunt.

Non longum tamen tempus eiusmodi dominio gavisi sunt. Ipse enim Vladislaus Abraham, qui labores adiutorum suorum multo melius quam Smolka ordinare scivit, accedente etiam favore ac benevolentia Ludovici Pastor, id tandem consecutus est, ut a. 1903 studiosorum Polonorum Romae operantium opera laboribus Instituti Historici Austriaci honorifice inserta sit²⁸⁹. Hoc modo viris doctis Polonis aditus patefactus est ad subsidia pecuniaria et alia, quibus suffulti ad continuandos intermissos labores, historiae nuntiaturae Polonae investigandae dicatos, sese iterum convertere potuerunt. Itaque in sessione Commissionis Historicae, Cracoviae 23 X 1903 a. celebrata, statutum atque decretum est, ut expeditiones hactenus peractae de integro constituerentur et renovarentur. Totius incepti moderatio commissa est Vladislao Abraham, cui etiam mandabatur, ut rerum medii aevi explorationem, adiutore Ioanne Ptaśnik, continuaret. Eius autem vices gesturus erat Vincentius Zakrzewski, qui "cogitatae editioni nuntiaturae Polonae temporum Stephani Bathorei parandae" ipse in persona incumbere constituit²⁹⁰.

Haec incepta et mutationes novam inchoaverunt aetatem studiorum et explorationis fontium, ad historiam nuntiaturae Polonae pervestigandam pertinentium. Vincentius Zakrzewski, perlustratis documentis in Thecis Romanis collectis, et itinere in Italiam a. 1903/4 facto (comite Eduardo Kuntze, qui collecta documenta ad tempora regis Stephani attinentia cum originalibus conferre debuit)²⁹¹, concludit, tantam collectorum documentorum molem quodammodo, aliter quam hucusque factum erat, eleborandam esse. Itaque in sessione Commissionis Historicae 20 VI 1905 a. statutum est ipso proponente, ut "ex eo tempore praecipuum et principale munus Expeditionum Romanarum esset editiones fontium imprimis curare, collectio vero documentorum secundo loco poneretur. Inde in posterum Expeditionibus tales solummodo viri docti interfuturi essent, qui vel ipsi editiones curarent, vel editoribus adiumento essent". Praeter seriem *Monumenta Vaticana Poloniae* nuncupatam Zakrzewski proposuit novam editionum seriem inchoare, cui *Nuntiatura Stephano rege in Polonia existens* (Nuncjatura polska za Stefana Batorego) inscriberetur, et quae epistularum commercium Andreae Caligari, Alberti Bolognetti et Hieronymi de' Buoi (1578-1586) comprehenderet. "Posseviniana" vero, una cum litterarum commerciis aliorum Sedis Apostolicae ablegatorum, qui "eodem tempore in Polonia operati sunt", voluminibus nuntiorum insererentur, quibus adiungerentur etiam legationes eodem tempore ex Polonia Romam missae, necnon omnis generis acta et scripta, ad res publicas et ecclesiasticas, Sedi Apostolicae cum regno Poloniae communes, attinentia. Investigationes non solum in Archivo Vaticano peragerentur, sed ad

²⁸⁹ Cfr. Rederowa MKH, p. 226, 228.

²⁹⁰ Ibidem, p. 227-228, 243.

²⁹¹ Ibidem, p. 227.

alia etiam tabularia, Polona et extera, in quibus spes esset aliquid utile inveniendi, sese extenderent. Introductiones et apparatus, quem vocant, criticus publicandorum voluminum lingua Latina confici deberent. Thecae Romanae, quae documenta ad editionem epistularum commercii singulorum nuntiorum sparsim continerent, licet iam ligatae fuerint, dividi possent, ut eo facilius singula documenta in unum coniungerentur et ita necessitatum editionis ratio haberetur²⁹².

Ergo, ut facile perspicimus, Zakrzewski prorsus novum colligendi et edendi acta et epistularum commercia nuntiorum apostolicorum modum et rationem proposuit. Qua in re sua propria nixus est experientia, quam parando editionem epistularum commercii Stanislai Hosii et examinando illa, quae a. 1888 a Stanislao Windakiewicz editioni illi obiecta erant, sibi comparavit. Consilium vero extendendi investigationem ad plura tabularia inde ortum est, quod interim etiam in Polonia et aliis regionibus extra Italiam magni momenti documenta ad historiam nuntiaturae pertinentia reperta sunt. Catalogus Bibliothecae Czartoryscianae, quae interea temporis Cracoviam revertit, annis 1887-1893 a Iosepho Korzeniowski confectus, et labores Stanislai Kutrzeba in illo continuando suscepti²⁹³, patefecerunt non solum inedita hucusque documenta nuntiaturae Polonae, a Ioanne Baptista Albertrandi collecta²⁹⁴, sed etiam paululum litterarum commercii nuntiorum, in collectionibus Ioannis Szembek et Thaddaei Czacki asservati (epistulas Laurentii Litta in ms. 1180). Korzeniowski, cum manuscripta principum Czartoryski, ab imperatore Russiae direpta, quaereret in Bibliotheca Publica Imperiali Petropolitana annis 1891-1892, reperit alia documenta ad historiam nuntiaturae spectantia, i.a. exempla instructionum Cosmi de Torres ex a. 1621 et Horatii Philippi Spada ex a. 1703, quae - quamquam pluries repetebantur - nunquam ad legitimum dominum reverterunt²⁹⁵. Neque recuperatum est, in eadem bibliotheca repertum et ab Alfredo Halban a. 1897 descriptum ac recensitum, pretiosum ad historiam cultus civilis morumque pervestigandam volumen decisionum iudicialium nuntiorum, qui exeunte XVII et ineunte XVIII saeculo fuerunt, ad Tabularium Nuntiaturae Varsaviensis olim pertinens²⁹⁶. Idem Korzeniowski, ex itinere studiorum causa a. 1894 ad tabularium regum Septimaniae in Hispania confecto, pretiosam secum attulit notitiam de registro

²⁹² Cfr. memoriale V. Zakrzewski ex 20 VI 1905. Rederowa MKH, p. 242-245.

²⁹³ Cfr. supra, cap. I, p. 78-79.

²⁹⁴ Cfr. supra, p. 99-101.

²⁹⁵ J. Korzeniowski, *Zapiski z rękopisów Cesarzkiej Biblioteki Publicznej w Petersburgu i innych bibliotek petersburskich* [Excerpta ex manuscriptis Imperialis Bibliothecae Publicae Petropoli et aliarum bibliothecarum Petropolitanarum], Kraków 1910 (*Archiwum do Dziejów Literatury i Oświaty w Polsce*, T. 11), p. 316. Manuscriptum harum instructionum in Bibliotheca Czartorysciana signatura 1544 praeditum erat.

²⁹⁶ Cfr. A. Halban, *Zbiór "praeiudicatorum" S[acrae] Nuntiaturae in Regno Poloniae* [Collectio "praeiudicatorum" ...], KH, 11 (1897), p. 338-340.

epistularum commercii Aloisii Lippomano (1555-1557), cuius exemplar iussu ipsius Philippi II Hispaniarum regis Romae exaratum erat²⁹⁷. Ad hunc elenchum adiungendum est adhuc supra memoratum *Vademecum pro nuntiis Galeatii Marescotti*, in bibliotheca ecclesiae Sanctae Crucis Varsaviae inventum (exemplar ex hereditate post Garampium vel Albertrandium relicta) et ab Alexandro Kakowski a. 1912 publici iuris factum²⁹⁸. Ex his omnibus clare sequitur, ut Zakrzewski explorationes suas extra Italiam non extendere non potuerit.

Nec defuerunt stimuli ad editionem actorum et epistularum nuntiorum accelerandam. Annis 1892 et 1895 publicati sunt duo libri Hermannii Ehrenberg (1858-1920), directoris Archivi Status Prussici Regiomonti, qui iam a. 1889-1890, tamquam archivarius-assistens tabularii Posnaniensis (1883-1889), a regimine Prussico adiutus, documenta ad Brandenburgiam, Prussiam Occidentalem (Pomeraniam) ac Orientalem necnon ad regiones Magnae Poloniae a Prussis tunc occupatas spectantia, Vaticani et in diversis tabulariis ac bibliothecis Italiae intense perquirebat describebatque. In volumine Magnae Poloniae consecrato publici iuris factae sunt - saepe addita etiam versione Germanica - multae epistulae nuntiorum in Polonia saeculo XVI (ab Aloisio Lippomano usque ad Hippolytum Aldobrandini) et tempore, quo secunda divisio Poloniae inter Russiam et Prussiam parabatur (nuntiatura Ioannis Andreae Archetti 1776-1784), munere suo functorum. Ex introductione patet editorem iam fructus primorum laborum Expeditionum Romanarum Academiae Cracoviensis bene novisse; documenta autem a se festinanter, sed cum iudicio selecta et sat bene descripta, imprimis ope inventariorum selegisse²⁹⁹. Similiter etiam opus hoc, historiae imprimis Prussiae Orientalis et Varmiae ab Ehrenberg destinatum, aliquot etiam epistulas Ioannis Francisci Comendone et multas Ioannis Andreae Archetti necnon maximi momenti "promemoriā" Iosephi Garampi, 5 I 1774 conscriptam, viris doctis suppeditat, fere omnia ex AV, *Nunziatura di Polonia* descripta³⁰⁰.

Nuntiis tantum destinatum erat aliud opus, tunc temporis ab aliis editoribus Austriacis et Germanicis confectum. Annis enim 1897-1905 in lucem prodierunt, in serie *Nuntiaturberichte aus Deutschland*, nova volumina, quae non pauca documenta, etiam ad nuntiaturam apostolicam in Polonia et res Polonicas pertinentia, continebant³⁰¹. Post longiorem cunctationem etiam

²⁹⁷ Septimancae, Archivo General, *Estado (Libros de Berzosa)*, leg. 2008.

²⁹⁸ *Vademecum pro nuntiis apostolicis in Polonia a Galeazzo Marescotti, nuntio apostolico, c.a. 1670 exaratum*, ed. A. Kakowski, Petropoli 1912.

²⁹⁹ Cfr. *Urkunden und Aktenstücke zur Geschichte der in der heutigen Provinz Posen vereinigten ehemals polnischen Landesteile*, herausg. von Hermann Ehrenberg, Leipzig 1892, p. XVI; in p. IX-XXXIX elenchus fontium pequisitorum; epistulae Archetti occupant p. 582-654! De ipso Ehrenberg vide Lehnert in *Altpreussische Biographie*, Bd. 1. Marburg 1974 p. 158-159.

³⁰⁰ Cfr. *Italienische Beiträge zur Geschichte der Provinz Ostpreussen*, herausg. H. Ehrenberg, Königsberg 1895; vide praesertim p. V et XXXIX.

³⁰¹ Enumerantur a Fink, p. 174-176. Documentis ad Poloniam spectantibus praecipue abundat pri-

Galli³⁰², Belgae³⁰³ et Helvetii³⁰⁴ explorandis nuntiaturarum suarum initiis et fontibus ad eas attinentibus publicandis operam dare coeperant. Inde ab a. 1892 rerum gestarum studiosus Russicus, Eugenius Šmurlo, investigandis documentis in Archivo Vaticano intentus erat, qui "etiam nuntiaturae suae editionem ab a. 1578 incepit"³⁰⁵. Eodem fere tempore labores suos in Urbe inchoaverunt participes expeditionis Academiae Scientiarum Fennicae, quorum duo, Henricus Biaudet et Liisi Kartunnen, postea gloriam sibi comparaverunt sicut auctores primorum synchronicorum catalogorum, omnes nuntios apostolicos complectentium³⁰⁶. Sed eorum munus primigenium erat perquirere fontes ad historiam Scandinaviae spectantes, qui a nuntiatura Polona initio regni Sigismundi III Vasa, Poloniae et Suetiae regis, effecti sunt. Magnum illorum hac in re meritum fuit explanatio et solutio notarum secretiorum, quibus nuntii Hannibal de Capua, Germanicus Malaspina et Claudius Rangoni, in epistulis suis utebantur³⁰⁷. Tertius autem expeditionis particeps, I. A. Pärnänen, studebat elaborandis documentis, ad missionem Sueticam Germanici Malaspina et nuntii extraordinarii Bartholomaei Powsiński a. 1593/4 pertinentibus³⁰⁸. Viris ergo doctis Polonis sufficientes aderant rationes ad festinanter agendum, ne scil. tot tam difficulter collecta documenta, propter industriam et labores aliorum, Polonis historiae studiosis irrita et inutilia redderentur.

Vincentius Zakrzewski, antequam haec consilia sua et novam editionum

mum volumen secundae seriei (ad annos 1560-1572), quae ab Instituto Historico Austriaco Romae publicatur "im Auftrage der hist. Commission der kaiserlichen Akademie der Wissenschaften in Wien". Volumen hoc, inscriptum *Die Nuntien Hosius und Delfino 1560-1561* a. 1897 a S. Steinherz editum est, qui magna ex parte documentis Stanislai Hosii in tabulario Bibliothecae Jagellonicae Cracoviensis asservatis, innixus est.

³⁰² Cfr. P. Richard, *Origines de la nonciature de France*, "Revue des Questions Historiques", 78 (1905), p. 103-147 (continuatur in sequentibus annalibus sub variis titulis). Editionem primorum textuum curavit J. Fraikin, cfr. *Nonciatures de Clément VII (1525-1527)*, Paris 1906.

³⁰³ Cfr. R. Maere, *Les origines de la nonciature de Flandre*, "Revue d'Histoire Ecclésiastique", 7 (1906), p. 565-584, 805-825. Textus publicabuntur deinde (cfr. infra, notam 380).

³⁰⁴ Cfr. *Nuntiaturberichte aus der Schweiz seit dem Concil von Trient nebst ergänzenden Aktenstücken*, I. Abteilung, I. Band: *Aktenstücke zur Vorgeschichte der Nuntiatur 1570-1579. Die Nuntiaturberichte Bonhomini und seine Correspondenz mit Carlo Borromeo aus dem Jahre 1579*, bearb. von F. Steffens und H. Reinhardt, Freiburg im Br. 1906.

³⁰⁵ J. Ptašnik ad V. Zakrzewski, 22 X 1910. Rederowa MKH, p. 273. De publicationibus Eugenii Šmurlo cfr. infra, p. 145-146.

³⁰⁶ H. Biaudet, *Les nonciatures apostoliques permanentes jusqu'en 1648*, Helsinki 1910; L. Kartunnen, *Les nonces apostoliques permanents de 1650 à 1800*, Genève 1912. Biaudet ab a. 1560 in catalogo suo parando nititur brevibus nuntios regibus Polonis commendantibus (ex AV), ad annos vero 1500-1560 ininitur catalogis Ciampi, Fabisz, Wierzbowski et opere Šmurlo (cfr. p. 95); in appendice (p. 312-314) publicat memoriale de nuntiatura Polona a. 1663 (ex ms. BV, *Ottob. Lat.* 2206).

³⁰⁷ Cfr. supra, cap. I, notam 146. Prius Biaudet lingua Gallica edidit summaria multarum epistularum legati Commendone et nuntiorum Dal Portico et Lauro, ad Suetiam annis 1569-1576 pertinentium, in libro inscripto *Le Saint-Siège et la Suède durant la seconde moitié du XVI siècle. I. Origines et époque des relations non officielles, 1570-1576. Notes et documents*, Paris 1906.

³⁰⁸ Cfr. supra, cap. I, p. 15.

rationem, ab Academia Scientiarum 20 VI 1905 a. approbatam³⁰⁹, ad effectum adducere coepisset, parandae a se editioni nuntiaturarum, quae Stephano rege fuerunt, renuntiare statuit. Perlustratis enim thecis, quae documenta ad nuntiaturas Sigismundo Augusto rege (1548-1572) existentes continebant, concludit, se posse suscipere munus eiusmodi documenta explendi et edendi, et simul parare editionem commercii litterarum Stanislai Hosii, ad idem temporis spatium pertinentis. Propterea iam post suum ex Italia reditum documenta ad nuntiaturam Caligarii collecta Stanislao Zakrzewski tradidit et mense Octobri eiusdem anni ipsum in Italiam misit, ut illa cum originalibus conferret et expleret³¹⁰. Unicum vestigium laborum, in itinere illo Italico a iuniore Zakrzewski peractorum (ad Maium usque 1905 a.), est eius relatio de investigationibus in Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi susceptis, ubi copiosum repperit litterarum commercium Ioannis Andreae Caligarii cum Carolo Borromaeo³¹¹. Constat tamen nobis illum "Caligariana" etiam Florentiae, Parmae, Brettenorii (quae urbs dioeceseos Caligarii caput erat) et in Brisighella (eiusdem nuntii paroecia) quaesivisse³¹². Ex quo tempore Commissio Historica Academiae Scientiarum publice ei mandaverat, ut acta nuntiaturae illius edenda curaret, Stanislaus Zakrzewski documenta ad eiusmodi editionem collecta adeo complevit, "ut - secretario generali Academiae teste - brevissimo temporis spatio interiecto typis excudi possent"³¹³.

In eadem sessione "editio nuntiaturae Alberti Bolognetti" Ludovico Boratyński demandata est. Qui autumnus a. 1905 in Italiam profecturus erat, ut collecta prius documenta compleret et integraret. Una cum Boratyński in Italiam iturus erat Matthias Loret, ei in utraque publicatione praeparanda adfuturus³¹⁴. Quo factum est, ut Loret, qui iam antea (II-V 1905 a.) in Tabulario Vaticano excerpta conficiebat ex litterarum commercio nuntii Ioannis A. Archetti ex annis 1780-1784³¹⁵, utrique editori adiutor sit additus. Itaque toto temporis spatio (a. 1905/6) concorditer cooperantes (Boratyński explorationem in Archivo Vaticano extendit "ad acta aliarum quoque nuntiaturarum, eodem tempore existentium, praesertim vero Germanicae et Hispanicae", et extra Romam ad Venetias, Bononiam, Mutinam, Parmam, Florentiam, Mediolanum, Nonantulam), prius collecta documenta adeo expleverunt et amplificaverunt, ut iam mense Aprili a. 1907 Secretarius Academiae Generalis censeret, acta utriusque nuntiaturae Polonae Stephano rege existentis, "quae

³⁰⁹ Cfr. Rederowa MKH, p. 242-245.

³¹⁰ Cfr. *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego z czynności Akademii od kwietnia 1904 do kwietnia 1905 r.* [Relatio Secretarii Generalis de actione Academiae a m. Aprili 1904 ad m. Aprilem 1905 a.], RAUK, A. 1904/5, p. 95.

³¹¹ Relatio haec servatur in Theca Romana 126 (BPAN, ms. 8466, p. 423-427).

³¹² Cfr. Rederowa MKH, p. 245.

³¹³ *Sprawozdanie* pro a. 1905/6, RAUK, A. 1905/6, p. 81.

³¹⁴ Rederowa MKH, p. 245-246.

³¹⁵ Cfr. relationes secretarii generalis, RAUK, A. 1904/5, p. 95 et A. 1905/6, p. 81.

aliquot volumina effectura essent"³¹⁶, nulla interposita mora typis excudi potuisse.

Matthias Loret non casu quodam fortuito explorandis ultimis nuntiaturis Poloniae, nondum inter vicinos divisae et liberae, animum intendit. Initio enim rerum gestarum studiosi - praeter Vincentii Zakrzewski edendi rationem et consilium - non nisi leviter et fere in transitu fontes a nuntiis illius temporis relictos cognoscere in animo habuisse videntur, nullo firmo proposito ea statim publicandi. Quocirca et Loret, qui a. 1905/6 etiam documenta ad nuntiaturas Garampii et Andreae Archetti attinentia perlustrabat³¹⁷, nulla quidem post se reliquit apographa, sed duo eius commentarii de utriusque nuntii Varsaviae commoratione scripti, praesertim propterea, quod Loret pretioso diario Garampii innixus illos conscripserat, scientiam de utraque illa missione pontificia in Polonia non parum amplificaverunt atque locupletaverunt³¹⁸. Excribendis autem fontibus operam dabat Stanislaus Kościółkowski, expeditioni a. 1905/6 adiunctus. Octo thecae, confecta ab eo apographa epistularum commercii ultimi nuntii, qui in Polonia nondum inter hostes dispersita, munere suo fungebatur, scil. Laurentii Litta (1793-1797), continentes, ultimum sunt Thecarum Romanarum incrementum. Positae in locum retractarum thecarum 107-111, documenta ad medium aevum spectantia continentium³¹⁹, claudunt celebrem illam collectionem, 126 thecis constantem, quae fructus est viginti annorum laboris et studii, non semper satis aestimati et parum usitati, tot iuvenum historicorum Polonorum, laboris inquam et studii, a. 1886 magno ardore et zelo incepti, anno vero 1906 in oblivione conclusi.

Ad talem Thecarum Romanarum conclusionem ipse Vincentius Zakrzewski non parum contulit. Qui, muneribus singulis operis sui sociis assignatis, statim ad cogitatam editionem epistularum nuntiorum, qui Sigismundo Augusto rege in Polonia fuerunt, se convertit. Itaque mense Martio 1906 a. in Italiam, aliquot menses moraturus, profectus est, ut "statum investigatorium, ad historiam nuntiaturae Poloniae in ipsis illius primordiis, id est Sigismundi Augusti temporibus, pertinentium, inde ab a. 1555, accuratius cognosceret et deinde curaret, quo perpauci fontes, ad edendam I seriem nuntiaturae Poloniae collecti, complerentur ditarenturque"³²⁰. Mentio de divisione in series

³¹⁶ *Sprawozdanie pro a. 1906/7*, RAUK, A. 1906/7, p. 91. Eodem anno Boratyński publicavit amplum commentarium *Studia nad nuncjaturą polską Bolognettiego (1581-1584)* [De nuntiatura Polona Alberti Bolognetti, (1581-1584)], in: *Rozprawy Akademii Umiejętności, Wydział Historyczno-Filozoficzny*, Vol. 59, Kraków 1907, p. 53-106.

³¹⁷ Cfr. *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego pro a. 1905/1906*, p. 81.

³¹⁸ Cfr. M. Loret, *Dwaj nuncjusze w Warszawie za Stanisława Augusta: Garampi i Archetti (1772-1784)* [Duo nuntii Varsavienses Stanisłao Augusto regnante: Garampi et Archetti (1772-1784)], "Biblioteka Warszawska", 260 (1905), p. 47-60; eiusdem, *Przyczynę do pobytu nuncjusza Garampiego w Warszawie* [Studium de nuntii Iosephi Garampi Varsaviae commoratione], KH 20 (1906), p. 502-511.

³¹⁹ BPAN, mss. 8447-8454. Cfr. *Sprawozdanie pro a. 1905/6*, p. 82.

facta ostendit, Vincentium Zakrzewski eo videlicet tempore consilium suum concepissee edendi *Sanctae Sedis Apostolicae Nuntiorum in Poloniam, tum etiam Legatorum e Polonia Romam missorum, nec non Summorum Pontificum, Cardinalium, Regum, Senatorum Regni etc. epistolas et acta*. Eiusmodi propositum mutationes quasdam induxit in edendi rationem mense Iunio 1905 a. approbatam. Nam in locum seriei editionum, nuntiaturas tantum complectentis, quae Stephano rege fuerunt, nunc Zakrzewski proposuit editionem, omnes prorsus nuntiaturas comprehendentem, quam - ad instar Germanicorum *Nuntiatuiberichte* - in plures series dividere constituit. Quarum prima amplecteretur secundam partem regni Sigismundi Augusti et interregna illud secuta (1555-1576), altera totum regnum Stephani Bathorei (1576-1586), tempora vero tertiae et sequentium pedetemptim statuerentur, prout earum publicatio procederet³²¹.

Ex hoc proposito et consilio iam pridem concepto excludendorum ex Thecis Romanis documentorum, quae publicationi destinata essent, secutum est, ut nova inchoaretur collectio, cui postea *Thecis Nuntiatorum* nomen datum est. Zakrzewski enim ex Thecis Romanis non solum exemit documenta ad tempora Stephani Bathorei pertinentia, sed etiam ex thecis antea consutis (excepta Theca Romana 33) eripuit et avulsit sparsa apographa documentorum, anno 1572 anteriorum, et novam separatam condidit thecam, quae postea, crescente documentorum numero, inter singulos nuntios seriei primae divisa, originem dedit novo documentorum complexui, qui hodie 14 thecis constat et annos 1548-1572 amplectitur (elaboratio actorum nuntiatorum Vincentii Lauro, a Theodoro Wierzbowski editorum, intermissa est)³²².

Quae omnia documenta verisimiliter deleta essent, si Zakrzewski illa, sicut initio in animum induxerat, publici iuris fecisset. Attamen elapsis quatuor mensibus (a Martio ad Iulium 1906 a.), quibus temptatum est - Romae, Neapoli, Parmae et Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana - illa complere et integrare, manifesto apparuit "editionem actorum nuntiatorum vetustioris, quae Sigismundo Augusto rege fuit, brevi temporis intervallo, sicut Commissionis Historicae moderatores sibi proposuerunt, ex toto aggrendendam non esse, cum actorum eiusmodi nonnisi fragmenta et frustula servata sint". Ad nuntiatorum tantum Aloisii Lippomano paulo plura extiterunt documenta (registrum eius epistularum commercii a Iosepho Korzeniowski Septimantiae exscriptum), et propterea Zakrzewski parandae editioni eiusdem nuntiatorum totum sese dedere constituit³²³. Itaque eius rei causa duo alia, a. 1907 Romam et 1909/10 Septimantiam, confecit itinera. Nihil tamen novi illic in-

³²⁰ *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego* pro a. 1905/6, p. 81.

³²¹ Hoc propositum, manu propria Vincentii Zakrzewski scriptum, invenitur in BPAN, ms. 8501 s.f. Hac oblata occasione corrigere velim meum proprium errorem quoad tempus eiusmodi propositi ineundi (cfr. Wojtyska SP, p. 199).

³²² Hodie in BPAN, mss. 8490 I/II, 8497-8508. Cfr. eorum descriptionem infra.

³²³ *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1906/7 p. 92.

venit³²⁴.

Interea edendis nuntiaturis, quae Stephano rege exstiterunt, novae ob-
venerunt difficultates. Anno enim 1907 Stanislaus Zakrzewski medii aevi
studiorum cathedram in Athenaeo Leopoliensi adeptus est. Cum ergo sibi ad
parandam editionem nuntiaturae Caligarii vix tempus suffecturum videret,
Ioannis Rutkowski, postea eximii historiae rerum oeconomicarum studiosi,
auxilio et opera uti coeperat, cuius tamen dotes et doctrina eiusmodi muneri
obeundo impares erant³²⁵. Confecto igitur mensibus Septembri et Octobri
1908 a. Romam et Mediolanum itinere, ubi nova aliquot adhuc repperit docu-
menta³²⁶, Zakrzewski id consecutus est, ut Academia Scientiarum annuam
pensionem tribueret iuveni illi rerum oeconomicarum historico, quem a.
1909/10, adiutoris sui munere functurum, Romam misit. Rutkowski tamen,
cum in Urbem venisset, non satis sciebat, quid sibi in Tabulario Vaticano
faciendum esset, et propterea "ad explorationem etiam diarii itineris in Polo-
niam Ioannis Pauli Mucante, qui a. 1596 unus ex comitibus fuit cardinalis
legati Henrici Caetani, sese convertit"; cuius diarii apographum, anteceden-
tibus annis in Tabulario Vaticano confectum, Ioanni Rutkowski ansam dedit
ad alia eiusmodi opera cognoscenda, eo consilio, ut in posterum vel disserta-
tionem aliquam de hac re, vel introductionem ad editionem eiusdem diarii
conscribere posset³²⁷.

Ita Stanislaus Zakrzewski non tam ad promovendam epistularum Cali-
garii editionem, quam potius ad novum quoddam consilium ineundum non
parum contulit, quod eo vel magis probatum videri potuit, quod Matthias
Loret, qui eodem quo Rutkowski tempore in Archivo Vaticano investigationi
operam dabat, alterius etiam diarii, scilicet Garampii, editionem parabat,
"ad quam rem ad effectum adducendam subsidium pecuniarium ei a Com-
missione Historica assignatum erat"³²⁸. Illud tamen consilium minus prospe-
re processit, et utrumque diarium ad nostros usque dies ineditum restat. Lo-
ret, qui per duo adhuc temporis intervalla (1910/11 et 1911/12) documenta ad
Garampium et nuntiaturas, quae, Polonia inter vicinos suos divisa et sub eo-
rum dicionem redacta, penes imperatores Russiae Petropoli exstiterunt³²⁹,
pertinentia colligebat, "sui" diarii apographorum ne vestigium quidem reli-
quit. Post Ioannem autem Rutkowski nonnisi apographum diarii Ioannis

³²⁴ Cfr. Wojtyska SP, p. 200.

³²⁵ Rederowa, *Ze studiów*, p. 241.

³²⁶ *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1908/9, p. 96-98. Cfr. eius relationem *Z badań archiwalnych nad nuncyaturą Caligarię w latach 1578-1581* [De nuntiatura Caligarii annis 1578-1881 fontibus archivalibus illustrata], in: *Sprawozdania z czynności i posiedzeń Akademii Umiejętności w Krakowie*, Vol. 13, Kraków 1908, Nr 9, p. 9-11.

³²⁷ *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1909/10, p. 91-92 et A. 1910/11, p. 92.

³²⁸ Cfr. RAUK, A. 1909/10, p. 92.

³²⁹ Cfr. relationes in RAUK, A. 1910/11, p. 94 et A. 1911/12, p. 91. Fructus huius investigationis fuit i. a. opus inscriptum *Kościół Katolicki a Katarzyna II, 1772-1784* [Ecclesia Catholica et Catharina II, 1772-1784], Kraków 1910, in quo Loret etiam multa fragmenta epistularum Garampii et Archetti in notis edidit.

Pauli Mucante, "vetustioribus temporibus confectum", relictum est, casu fortuito inter Thecas Romanas (theca 118) coniectum³³⁰. Itaque consilio edendi illud "ad Kalendas Graecas" reiecto³³¹, frustratus eius editor iam a. 1910 documentis ad nuntiaturas attinentibus porro explorandis elaborandisque omnino renuntiavit. In cuius locum Stanislaus Zakrzewski alium adiutorem substituendum proposuit, scil. Ceslaum Nanke, magistrum Samboriensem, qui mense Octobri a. 1910 Romam se contulit, ut artem edendi nuntiaturas ibi edisceret et scripta Caligarii cum originalibus iterum conferret³³².

Sic spes inchoandae editionis "Caligarianorum", quae inde ab a. 1887 adeo elaborata et parata esse videbantur, ut sine mora typis mandari possent, iterum est decepta. Ad obiectamenta et sollicitationes, a Vincentio Zakrzewski et Boleslao Ulanowski motas, Stanislaus Zakrzewski initio anni 1911 respondit se parandae "Caligarianorum" editioni renuntiare³³³. Quod eius institutum non solum omnes vehementer conturbavit, sed seriae etiam considerationi de methodo et ratione cogitatae editionis ansam dedit. Iam enim mense Iulio a. 1910 Boleslaus Ulanowski, qui de mature ad exitum adducenda publicatione seriei nuntiaturarum, *Monumenta Vaticana* nuncupatae, serio subdubitabat, proposuit, ut editio epistularum commercii nuntiorum extra eiusmodi seriem susciperetur, apparatu critico, tantum laboris et temporis exigente, omnino praetermisso. Ad vitanda autem in posterum tot sumptuosa itinera consilium dedit, ut nostris temporibus magis convenientia instituerentur Cracoviae reproductionum photographicarum, quae dicuntur, tabularia, ubi eo facilius collecta prius documenta cum originalibus conferri possent³³⁴.

4 XII 1910 a. eandem quaestionem movit etiam Ioannes Ptaśnik, qui inde ab initio colligendis et publicandis medii aevi monumentis diligentem operam navavit. Qui cum videret, quantum insudandum esset illis, qui Romae documenta ad nuntiaturas rege Stephano existentes, ab aliis collecta et descripta, cum originalibus conferre debebant, et quomodo singuli ad propria studia promovenda attraherentur, concludit: "ad parandam nuntiaturae editionem vires nobis desunt, cum perpauca apud nos inveniri possint, qui annos integros arduo et ingrato labori sacrificare velint". Ptaśnik animadvertit etiam aliisque significavit omnino falsum esse unicuique licentiam dari, ut ad proprium arbitrium documenta vel "in extenso", vel excerpta et summaria

³³⁰ Hodie in BPAN, ms. 8458.

³³¹ Examinatio huius consilii, 12 VII 1910 a. a S. Krzyzanowski Commissioni Historicae propositi, ad autumnum eiusdem anni reiecta est, postea autem ad illud indagandum iam nemo revertit. Cfr. Rederowa MKH, p. 268.

³³² Rederowa MKH, p. 273. Cfr. relationem secretarii generalis in RAUK, A. 1910/11, p. 92.

³³³ "Diu in editione incipienda cunctatus, denique a labore perficiendo sese subtraxit", ex introductione Ludovici Boratyński ad editionem litterarum commercii Andreae Caligarii (Boratyński CEA), p. XIII. Cfr. Biliński, *Polacchi*, p. 62; Rederowa, *Ze studiów*, p. 242.

³³⁴ Cfr. Rederowa MKH, p. 270.

eorum conficeret, quo factum est, ut eorum elaboratio iterum atque iterum necessaria efficeretur et ita primum volumen commercii epistularum Caligarii non prius quam post tres annos elapsos in lucem proditurum sit, dum alii, eius sententia, eodem tempore nova publicabunt volumina, "nam exemplaribus non in fragmentis, sed ex toto descriptis utuntur et omnia bene ordinata habent". Propterea, consilia Boleslai Ulanowski secutus, Vincentio Zakrzewski suator fuit, ut collecta hactenus documenta nondum elaborata, publicarentur in forma analectorum, ad instar Pruthenicarum *Quellen und Forschungen aus den italienischen Archiven und Bibliotheken*³³⁵. "Quod si regularem tantum nuntiaturam ante oculos habebimus - scribebat - in decem annorum spatio nihil consequemur, praesertim cum lingua editionis sit idioma Latinum, qua re labor et fatiga decies fere augeatur"³³⁶.

Postquam Stanislaus Zakrzewski curandae editioni "Caligarianorum" renuntiaverat, quae propterea "a sex inde annis parum processit, et quinque adhuc annis opus esset, ut utrumque volumen typis excuderetur", Ptaśnik ad propositum illud Stanislai Windakiewicz se iterum convertit et 25 II 1911 a. Vincentio Zakrzewski persuadere conatus est, elaborationem singulorum voluminum uni soli editori demandandam esse, cui de iuribus auctoris etiam caveatur. Ita, eius sententia, Ludovico Boratyński, qui hactenus optime operatus est et magnam experientiam sibi comparavit, munus edendi primi voluminis commercii litterarum Caligarii committi posset, dum Ceslaus Nanke, minore rerum usu et experientia praeditus, volumen secundum paulatim pararet³³⁷.

Vicit prudentium sententia. Ludovicus Boratyński mandato Commissionis Historicae Academiae Scientiarum consensit³³⁸ et opus a Stanislao Zakrzewski inceptum continuare constituit, editione actorum nuntiaturae Alberti Bolognetti ad aliud tempus reiecta, praesertim cum cognoverit in Bibliotheca Capitulari Toletana in Hispania integrum et completum registrum illius nuntii epistularum custodiri, et propterea editionem eiusmodi nuntiaturae 800 circiter illuc usque ignotis documentis explendam esse³³⁹. Toto temporis spatio 1911/12 a. Boratyński Cracoviae parabat et typis excudi mandabat partes initiales commercii epistularum Caligarii, dum Nanke Romae documenta ad secundam partem collecta cum originalibus conferebat³⁴⁰. Postea ipse Boratyński aliquoties in Italiam profectus est, typis exaratas paginas secum afferens, ut eas cum originalibus conferret et, oblata occasione, alia

³³⁵ Ab a. 1898 publicabantur ab Instituto Historico Pruthenico Romae.

³³⁶ Epistula ad V. Zakrzewski, 4 XII 1910. Rederowa MKH, p. 275-276.

³³⁷ Rederowa MKH, p. 282-283.

³³⁸ Cfr. *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1910/11, p. 94; cfr. Biliński, *Polacchi*, p. 62.

³³⁹ Cfr. *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1921/22, p. 14. Boratyński invenit hanc informationem in margine codicis epistularum Alberti Bolognetti Nonantulae. Tunc tamen non potuit ipse se Toletum conferre, ut in persona registrum illud exploraret, cfr. infra, notam 342.

³⁴⁰ Cfr. *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1911/22, p. 91.

documenta ad nuntiaturam Bolognetti pertinentia exquireret³⁴¹, dum Vincen-
tius Zakrzewski, occasione sui alterius in Hispaniam itineris, quod ea mente
fecit, ut documenta ad editionem actorum Aloisii Lippomano congesta exple-
ret et integraret, munus in se recepit supranominati epistularum commercii
Alberti Bolognetti, Toleti asservati, consignandi³⁴².

Pridie quam primum omnium gentium exarsit bellum, primo vere 1914 a.
acta nuntiaturae Caligarii iam typis excudi coepta sunt. Eorum editor paran-
dis indicibus et introductioni³⁴³ (quae partim ab ipso Vincentio Zakrzewski
scripta erat) diligentem operam navabat³⁴⁴. Tam indices quam introductio,
antequam belli tempestas erupit, iam parata erant, quare a. 1915, iam
saeviente bello, Cracoviae in lucem prodire potuit tam diu exspectatum volu-
men *Ioannis Andreae Caligarii nuntii apostolici in Polonia epistolarum et acto-
rum 1578-1581*, quod seriei *Monumenta Poloniae Vaticana* insertum, quar-
tum eius volumen effecit (tribus praecedentibus medio aevo dicatis volumini-
bus, a Ioanne Ptaśnik editis). Magnum hoc volumen (920 paginis constans),
accuratissime editum, continet 535 documenta "in extenso" publicata, 481 ex-
cerpta et 378 summaria. In appendice annexa est i.a. amplior enarratio vitae
et operae Caligarii, nuntii apostolici in Polonia, ex textu Polonico in Latinum
sermonem conversa (versio Polonica separatim publicata est in *Dissertatio-
nibus Facultatis Historico-Philosophicae Academiae Scientiarum Cracoviae*)³⁴⁵.

Opus Ludovici Boratyński ab exteris rerum gestarum studiosis vix anim-
adversum et notatum est³⁴⁶. Apud Polonos autem sensum inferioris quasi
condicionis superasse videtur, quo nostri historiae scriptores laborabant, cum
se cum illis compararent, qui a multis inde annis nuntiaturarum suarum acta
publicabant. "Habemus tandem et nos nuntiaturam nostram"³⁴⁷. Edendi
ratio, quam editor secutus est, nonnihil differebat ab illa, quae a. 1906 a Vin-
centio Zakrzewski proponebatur. Boratyński enim, haud neglecta vel post-
habita accurata tabulariorum exploratione, publicandis tamen documentis ad
historiam legatorum Polonorum Romae pertinentibus renuntiavit, scripta
vero a tertiis profecta adeo circumscripsit, ut nonnisi illa publicaret, quae

³⁴¹ Romae et Brisighellae fuit m. Maio, Iunio et autumnio anni 1912 (RAUK, A. 1912/13, p. 94) atque
autumno anni 1913 (RAUK, A. 1913/14, p. 90).

³⁴² "Quae consignatio, vera margarita, exemplum nobis praebet, quomodo - praeter necessariam
interdum festinationem - eiusmodi consignationes conficiendae sint", L. Boratyński, *Wincenty Zakrzewski*,
KH, 32 (1918), p. 407. De registro isto Toletano cfr. supra, cap. I, p. 81.

³⁴³ *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1913/14, p. 90.

³⁴⁴ Ita Boratyński in supra memorato necrologio in honorem V. Zakrzewski (cfr. supra, notam 342).

³⁴⁵ *J. A. Caligari, nuncjusz apostolski w Polsce (1578-1581)* [De I. A. Caligario, nuntio apostolico in
Polonia 1578-1581], in: *Rozprawy Akademii Umiejętności, Wydział Historyczno-Filozoficzny*, Vol. 59
(Series II, Vol. 34), Kraków 1916, p. 1-52. Cfr. praesentationem editionis epistularum Caligarii, a
secretario generali Academiae factam, in RAUK, A. 1914-1916, p. 31.

³⁴⁶ In commentariis exteris, quarum editiones nuntiaturarum interfuit, nulla recensio in lucem
prodiit.

³⁴⁷ E. Kuntze in satis blanda recensione publicata in KH, 21 (1917), p. 164-170.

maximi viderentur momenti. Possevini autem epistulae cum commercio litterarum nuntii coniunctae sunt. Acta vero Caligarii, id est dispensationes et privilegia a nuntio impertita, necnon decisiones tribunalis nuntiaturae, licet in voluminis titulo annuntiata sint, ab editore praetermissa sunt. Integrum volumen, eiusmodi actorum registra continens, tunc temporis servabatur in Tabulario Principali Varsaviensi, et Boratyński non potuit nescire illa illic custodiri, praesertim cum a. 1912 publicatum sit repertorium, accuratam descriptionem omnium 183 voluminum huiusmodi actorum, quae Varsaviae servabantur, continens³⁴⁸. Talis actorum illorum praetermissio, consulto facta, post aliquot decennia fatalem sane et perniciosam se exhibuit, nam mense Septembri a. 1944 acta Caligarii, quibus nemo rerum gestarum studiosus (praeter Garampium) usus erat, igni consumpta sunt³⁴⁹.

Belli procella colendis nuntiaturarum studiis minime favebat. Quamquam enim Boratyński editionem commercii litterarum Alberti Bolognetti pro viribus parare pergebat³⁵⁰, Nanke autem ex documentis a Stanislao Windakiewicz ad nuntiaturam Hannibalis de Capua collectis aliquid facere nitebatur (primum fortassis gradum ad novae seriei inchoationem?)³⁵¹, sed revera non multum factum est. Mox duae dolendae mortes secutae sunt: 14 IV 1918 a. diem suum obivit Vincentius Zakrzewski, cuius merita de studiis nuntiaturarum promovendis maerens laudabat Boratyński³⁵², qui 25 II 1920 a. ipse magistrum suum secutus est³⁵³. Attamen obitus illorum tam bene meritorum historiae studiosorum inceptum opus non interruptit. Quorum hereditatem discipuli ipsorum receperunt. Ita in locum Vincentii Zakrzewski, Commissionis Historicae moderatoris, 26 I 1920 a. subrogatus est sacerdos Ioannes Fijałek³⁵⁴, qui suum studiorum curriculum a. 1888, Stanislao Windakiewicz duce, a describendis documentis ad nuntiaturam Hannibalis de Capua spectantibus inchoavit, et qui etiam postea - licet ad alia studia animum intenderit - investigandis nuntiaturis vacare non desiit, et a. 1910 magno cum ardore et studio commentarium de Berardo Bongiovanni publicavit³⁵⁵. Illi

³⁴⁸ Cfr. supra, cap. I, p. 50.

³⁴⁹ Cfr. supra, cap. I, notam 266.

³⁵⁰ Cfr. *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1916/17, p. 29.

³⁵¹ Cfr. Cz. Nanke, *Kurya rzymska e elekcyja 1587 r. w Polsce* [Curia Romana et electio regis Poloniae a. 1587], KH, 32 (1918), p. 527. Commentarius hic est summarium orationis in Societate Studiis Historicis promovenda Cracoviae, 26 X 1918 a. habitae (explicatio trium instructionum Hannibalis de Capua).

³⁵² Cfr. supra, notam 342.

³⁵³ Cfr. *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1919/20, p. 11; cfr. Rederowa, *Ze studiów*, p. 245. Studia Ludovici Boratyński et eius merita de edendis nuntiaturis Polonis accurate describuntur in introductione ad editionem primi voluminis litterarum commercii Alberti Bolognetti (cfr. infra), p. XI-XIX.

³⁵⁴ *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1919/20, p. 11.

³⁵⁵ Cfr. *Moderniści Katolicy Kościoła Lwowskiego w wieku XVI ...* [Modernistae Catholici Ecclesiae Leopoliensis saec. XVI...], Cz. 2. *Rozpoczyna słowo o nuncyaturze Berarda Bongiovanniego, pierwszego dyplomaty papieskiego w Polsce ...* [Incipit verbum de nuntiatura Berardi Bongiovanni, primi oratoris pon-

quoque procul dubio attribuendum est consilium a moderatoribus Commissionis Historicae a. 1920 initum, ut omnia documenta et scripta, ad nuntiationem Alberti Bolognetti a Ludovico Boratyński olim collecta, Czeslao Nanke, in eiusmodi laboribus iam bene versato, traderentur et documentis Toleti detectis complerentur³⁵⁶. Hac de causa, licet subsidia pecuniaria exigua fuerint, is Ludovici Boratyński successor aestate a. 1921 primum Romam, deinde Toletum iter facere potuit, ubi mensibus Iunio et Iulio describebat vel in epitomen cogeat documenta ad edendam Alberti Bolognetti nuntiationem necessaria. Cum vero a decano capituli Toletani, sac. Narcisso Esternago, sibi promissum esset residuas 100 epistulas, quas ob temporis angustiam describere non potuit, in photocopiis ei missum iri, Nanke in patriam rediit et exeunte anno 1921 primam partem voluminis, nuntii Bolognetti epistularum commercium continentis, prelo mandavit³⁵⁷.

Ob breve temporis spatium, quo editio maturata erat, effectum est, ut Commissio Historica Academiae Scientiarum, tunc iam Polonae, post novem annorum intervallum, Expeditiones Romanas restitueret et propositam a Vladislao Abraham rationem inceptum opus continuandi, tam ad medium aevum quam recentioris aetatis quod attinet, approbaret. Itaque cum de recentioribus temporibus ageretur, maxime imprimis referebat, ut Alberti Bolognetti epistulae publici iuris fierent³⁵⁸. Prima Expeditio Romana, confecto iam bello suscepta, cui soli mediae aetatis studiosi interfuerunt (a Martio ad Iunium 1922 a.), futuri Instituti Polonici Romae quasi germen fieri debebat. Ut eiusmodi institutum in Urbe conderetur, iam annis 1897-1899 Stanislaus Smolka multum, sed frustra, laboravit et conatus est³⁵⁹. 23 V 1914 a. praeses Academiae, Stanislaus Tarnowski, totam orationem suam, quam in aperiendo novo anno academico habuit, huic rei dedicavit. "Illud (institutum) somnium est quidem, sed amplificatio operis nostri, conservatio et amplificatio vinculorum, quae nobis cum cultu civili occidentis et australium partium intercedunt, non vanum est somnium, sed vera et certa necessitas"³⁶⁰. Somnium eiusmodi a. 1921, libertate patriae nostrae restituta, enixis praesertim studiis et opera comitis Iosephi Michałowski, felicem exitum habere potuit. Michałowski, ipse investigationi etiam in Tabulario Vaticano deditus³⁶¹, totam suam copiosam bibliothecam ad usum futuri Instituti tradidit et in obtinenda ad tempus eius sede in Hospitio s. Stanislai, in via ad

tificii in Polonia], "Pamiętnik Literacki", 7 (1908), p. 395-430.

³⁵⁶ Cfr. relationes secretarii generalis, RAUK, A. 1919/20, p. 12 et A. 1920/21, p. 11.

³⁵⁷ Cfr. *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1921/22, p. 14-15. Cfr. *Polska Akademia Umiejętności w r. 1921-1922. Kronika* [Academia Scientiarum Polona annis 1921-1922. Chronica], KH, 36 (1922), p. 253. De aliis repertis, a Czeslao Nanke Toleti factis, cfr. supra, cap. I, p. 81.

³⁵⁸ *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1921/22, p. 16.

³⁵⁹ Rederowa, *Ze studiów*, p. 219-230.

³⁶⁰ Cfr. RAUK, A. 1913/14, p. 3.

³⁶¹ Cfr. eius relationem *Studia w archiwach watykańskich w latach 1914-1923* [Investigationes, in tabulariis Vaticanis annis 1914-1923 factae], KH, 38 (1924), p. 555-562.

Apothecas Obscuras sito, multum adiuvit³⁶². Cum tamen de subsidiis futuro Instituto assignandis et eius approbatione nimis diu tractaretur, nonnisi a. 1927 rite, debito modo et forma, Statio Romana Academiae Scientiarum Polonae condita est. Ex eo etiam tempore rerum gestarum studiosi, qui Romae investigandae nuntiaturarum historiae operam navabant, pariter cum aliis, cum bibliotheca tum aedibus Stationis uti poterant³⁶³.

Eodem tempore, quo de instituenda Statione Romana Academiae Scientiarum Polonae tractabatur, nonnulli exterarum nationum historiae studiosi consilium inierunt amplas partes actorum nuntiaturae Polonae publicandi. Talis opera primum a Russico studioso, Eugenio Šmurlo, primis annis saeculi XX inchoata est. Qui inde ab a. 1892 Romae investigationi suae operam dare coepit, publicatis deinde sat accuratis inventariis collectionum "Polonicarum", quae in archivo et bibliotheca Vaticanis et aliis bibliothecis Romanis servantur, una cum annexis permultis documentis ad Moscoviam et Russiam spectantibus. Manifestum est maximam eiusmodi repertorum partem ex hereditate a nuntiis apostolicis in Polonia relicta provenisse³⁶⁴. Anno autem 1903 Šmurlo publicavit Tarbati (Dorpat) suam primam collectionem fontium, ad regnum Petri I in Russia annis 1693-1700 attinentium. Maximam sane partem eius editionis efficiunt relationes nuntiorum Andreae Santacroce, Iohannis Antonii Davia et Francisci Pignatelli, ex Archivi Vaticani sectione *Nunziatura di Polonia* depromptae³⁶⁵. Fructus subsequentium investigationum, annis 1903-1910 peractarum, publicavit Šmurlo in quattuor voluminibus constanti opere suo *Russia et Italia. Collectio fontium et studiorum, ad mutuas relationes inter Russiam et Italiam intercedentes attinentium*³⁶⁶. In ultimo volumine huius operis auctor dedit primam valde accuratam descriptionem documentorum Polonicorum et Russicorum, in archivo Congregationis de Propaganda Fide servatorum. Summatim tamen dici potest hoc opus copiosissimam quidem, sed insimul inordinatam commixtionem praebere notitiarum et fragmentorum editorum textuum.

Effectus ultimae explorationis suae, scilicet *Relationem historiae studiosi de investigationibus suis Romae peractis a. 1916-1917*, Šmurlo publicavit iam

³⁶² Cfr. chronicam in KH, 36 (1922), p. 253. Cfr. Rederowa, *Ze studiów*, p. 231.

³⁶³ Cfr. relationes secretarii generalis, RAUK, A. 1924/25, p. 33; A. 1927/28, p. 43; A. 1928/29, p. 28.

³⁶⁴ Cfr. *Otčet o dvuch komandirovkach v Rossiju i zagranicu v 1892/3 i 1893/4 gg.* [Relatio de duabus expeditionibus in Russiam et exterarum regiones annis 1892/3 et 1893/4 factis], Juriev 1895 (i.a. in p. 176-185 inventarium sectionis *Nunziatura di Polonia*, et inter appendices publicata instructio pro Mario Filonardi (p. 230-236).

³⁶⁵ Cfr. *Recueil de documents 1693-1700 relatifs au règne de l'Empereur Pierre le Grand*, Youriev (Dorpat) 1903.

³⁶⁶ *Rossija i Italija. Sbornik istoričeskich materialov i izsledovanij, kasaiuščichsia snošenij Rossii s Italiej*, Vol. 1 fasc. 1, Sanktpeterburg 1907, fasc. 2, Sanktpeterburg 1911; Vol. 2, fasc. 1, Sanktpeterburg 1908, fasc. 2, Sanktpeterburg 1913 (in p. 618-654 index chronologicus documentorum in integro volumine allatorum); Vol 3, fasc. 1, Sanktpeterburg 1911, fasc. 2, Sanktpeterburg 1915; Vol. 4, Leningrad 1927.

tempore, quo Russiae populi revolutio invaluit³⁶⁷. Maxime tamen improvisum et inopinatum accidit viris doctis Polonis, cum a. 1925 in lucem prodiit integrum volumen (256 paginis constans) litterarum commercii Ioannis Andreae Caligarii, annos 1578-1581 complectentis³⁶⁸. Šmurlo quidem editionem istam iam inde ab a. 1903 apparabat, quae studiosos Polonos non parum sollicitos reddebat³⁶⁹, sed completa in hac editione, collectionibus sectionis *Nunziatura di Polonia* imprimis suffulta, ignoratio optimi operis Ludovici Boratyński editoribus Cracoviensibus vehementer displicuit. Eo vel magis, quod a. 1928, in appendicibus ad suum librum *Le Saint-Siège et l'Orient Orthodoxe Russe 1609-1654* Šmurlo 100 et supra pretiosa documenta subsequentium nuntiorum, a Francisco Simonetta ad Ioannem de Torres, Pragae publicavit.

Sui generis chronologicam continuationem editionum Eugenii Šmurlo efficiunt primae publicationes Ucrainorum. Iam enim a. 1919 Stephanus Tomašivs'kyj Leopoli publicavit *Relationes nuntiorum Romanorum de Ucraina annis 1648-1657*³⁷⁰. In eo volumine editae sunt maximi momenti epistolae nuntiorum Ioannis de Torres et Petri Vidoni, in quibus narrantur causae et progressus seditionis Cosacorum contra Polonos duce Bohdano Chmielnicki motae. A. 1922 I. M. Rouet de Journel SI edidit primum volumen suarum *Nonciatures de Russie*, primam scilicet partem epistularum Thomae d'Arezzo, nuntii apostolici Petropoli (1802-1806) continens³⁷¹. Tota ista editio, 5 constans voluminibus, retrocedendo comprehendere debebat etiam missionem Ioannis A. Archetti, Petropoli annis 1783-84 peractam, et nuntiaturas penes totius Russiae imperatores inde ab a. 1797 institutas, id est ex quo Nuntiatura Varsaviensis clausa et nuntius Laurentius Litta Varsavia Petropolim translatus est (Litta 1797-1799, Benvenuti 1799-1803, d'Arezzo 1802-1806)³⁷². Documenta ad eiusmodi nuntiaturas pertinentia, hodie in sectione *Nunziatura di Polonia* asservata, quae maximam partem res ad ecclesiam Polonam spectantes continent, iam pridem a Matthia Loret explorabantur. Propterea, cum longiore temporis intervallo interiecto ipse - primus post bellum confectum nuntiaturae Polonae studiosus et explorator - a. 1926 Romae comparuisset, nil aliud ei faciendum restabat, quam ut ad investigandas nuntiaturas, quae Stanislaio Augusto rege, et praesertim primo illius regni decennio, exstiterunt (Visconti, Durini, Garampi), animum intenderet. Secretario Generali Acade-

³⁶⁷ *Otčet učénago korrespondenta v Rime za 1916-1917 gody*, in: *Izvestija Russkoj Akademii Nauk*, Vol. 4, Leningrad 1918.

³⁶⁸ *Pamjatniki kul'turnych i diplomatičeskich snošenij Rossii s Italiej*, Leningrad 1925.

³⁶⁹ Cfr. supra, p. 135.

³⁷⁰ *Donesennia rim'skich nunciiv pro Ukrainu 1648-1657* (Monumenta Vaticana res gestas Ukraine illustrantia, T. 1, in serie *Džerela do istorii Ukrainy Rusy*, vol. 16).

³⁷¹ *Nonciatures de Russie d'après les documents authentiques. Nonciature d'Arezzo (1802-1806)*. Première partie, 1802-1804, Rome 1922. De opere Journel Polonos edocuit I. Michałowski, *Studia*, p. 562.

³⁷² Publicata secunda parte actorum Thomae d'Arezzo (Romae 1927) et documentorum Laurentii Litta (Vaticani 1943), editio totius seriei *Nonciatures de Russie* (5 volumina) a. 1952 in collectionem Vaticanam *Studi e Testi* inserta est, in qua ordine chronologico disposita, occupat volumina 166-169, 194.

miae Scientiarum teste, "Loret tunc temporis documenta nuntiaturam Polonam in universum illustrantia explere et integrare debebat"³⁷³. Ergo dissertationem tota de nuntiatura Polona conscribere in animo habuisse videtur. Attamen haec nonnisi pia, ut dici solet, desideria fuerunt.

Tertia tandem regio, cuius rerum gestarum studiosi consilium ceperunt acta nuntiaturarum, inter quas nuntiaturae etiam Polonae, explorandi, fuit Dacia seu Romania. Schola Daco-Romana a. 1922 Romae instituta (Scoala Română din Roma), a. 1925 suum *Diplomatarium Italicum* publicare coepit ab editione epistularum commercii Claudii Rangoni, nuntii apostolici in Polonia, annis 1599-1605 datarum³⁷⁴. Ita una adhuc selectio documentorum in lucem prodiit, i. a. ad Moldaviam etiam spectantium, quae in posterum huius quoque nuntiaturae editionem difficiliorem reddere poterant³⁷⁵.

Non deerant ergo rationes ad tempestive et festinanter agendum. Primum tamen et principale propositum, cui omnia in negotio edendae nuntiaturae Polonae subiecta erant, editio scil. commercii litterarum Alberti Bolognetti, propter angustias pecuniarias satis lente procedere potuit. Itaque usque ad mensem Aprilem a. 1927 vix 25 parva fascicula typis impressa erant³⁷⁶. Quamobrem Ceslaus Nanke animo demissus editioni parandae renuntiavit, eodemque anno continuatio eiusdem comissa est Eduardo Kuntze, Bibliothecae Jagellonicae praefecto et Expeditionum Romanarum olim participi³⁷⁷. Talis tamen commutatio labores parum acceleravit, ita ut inde ab a. 1923 in fasciculis edi coeptum volumen *Alberti Bolognetti nuntii apostolici in Polonia epistolarum et actorum pars I, 1581-1582*, nonnisi a. 1933 in serie *Monumenta Poloniae Vaticana*, uti volumen quintum, in lucem prodire potuerit. Documentis Toleti repertis valde locupletatum, ad rationem et normas edendi quod attinet, a volumine commercii epistularum Caligarii nihil differt. Volumen secundum, commercium litterarum Alberti Bolognetti a. 1583 datarum continens (*Monumenta Poloniae Vaticana*, t. VI), per integros 5 annos typis excudebatur³⁷⁸, volumen vero tertium et ultimum (annos 1584-1585 comprehen-

³⁷³ Cfr. RAUK, A. 1926/27, p. 14.

³⁷⁴ *I ragguagli di Claudio Rangoni, vescovo di Reggio Emilia e Nunzio Apostolico in Polonia (1599-1605)*, ed. N. Buta, in: *Diplomatarium Italicum*, Vol. 1, Roma 1925, p. 259-377. Cfr. supra, cap. I, p. 15.

³⁷⁵ Minoris momenti sunt fragmenta litterarum commercii nuntiorum Rangoni, Simonetta, Ruini et Diotallevi, edita in secundo volumine *Diplomatarii* a. 1930 a Virginia Vasiliu (*Il principato moldavo e la Curia Papale fra il 1606-1620*, DI II, p. 22-71) et aliquot epistolae Claudii Rangoni, antea a Buta non editae (*I paesi Romeni in una serie di "avvisi" del Settecento, 1599-1603*, DI II, p. 72-304 passim). Ex anterioribus editionibus nominanda sunt saltem multa excerpta ex epistulis nuntiorum Polonorum Martelli et Pallavicini, a Ferdinando De Bojani publicata in tribus voluminibus eius operis *Innocent XI. Sa correspondance avec ses nonces (1676-1684)*, Rome 1910-1913.

³⁷⁶ Cfr. *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1926/27, p. 13; *Kronika*, KH, 41 (1927), p. 700. Cfr. relationes anteriores de processu laborum in editionibus parandis et typis mandandis annis 1924-1926: RAUK, A. 1923/24, p. 14; A. 1924/25, p. 14; A. 1925/26, p. 14.

³⁷⁷ *Sprawozdanie*, RAUK, A. 1927/28, p. 17; cfr. KH, 42 (1928), p. 837.

³⁷⁸ Editum Cracoviae 1938.

dens), ab Eduardo Kuntze adhuc ante alterum omnium gentium bellum prae-
paratum, nonnisi a. 1950 typis imprimi et publicari potuit (*Monumenta Polo-
niae Vaticana*, t. VII). Itaque 63 annis opus fuit, ut acta nuntiaturarum, Ste-
phano rege in Polonia existentium, quae iam a. 1887 prelo mandari potuisse
annuntiabantur, sub specie librorum viris doctis tandem porrigi possent. Tam
lenta et diuturna eorum elaboratio et publicatio non solum erroribus et vitiis
illorum, qui eis edendis praefecti erant, attribuenda est, sed difficultatibus
etiam et angustiis pecuniariis Academiae Scientiarum, necnon novis magna
ex parte documentis ad nuntiaturam Alberti Bolognetti spectantibus, pri-
mum Nonantulae, deinde Toleti repertis, ascribenda. Editores tamen de eius-
modi tarditate excusari possunt summa diligentia et cura, quibus quattuor
illa volumina ediderunt, et praesertim sedulitate et patientia, quibus docu-
menta in hereditate recepta semel atque iterum cum originalibus conferre
non sunt dedignati, "opus sane laboriosissimum, quo factum est, ut alii furore
corriperentur propter plagulas typis excusas emendandas, propter continua
dubia et additamenta"³⁷⁹.

5. De paranda editione nuntiaturarum, quae Sigismundo Augusto rege fuerunt (1928-1939).

Anno 1924 nuntiaturas suas magno impetu edere coeperant Belgae³⁸⁰,
paulo post similem operam Bohemi et Slovaci inchoaverunt³⁸¹. Nescimus,
quantopere eiusmodi incepta exterorum historiae studiosorum, praeter ni-
miam tarditatem laborum in paranda editione commercii litterarum Alberti
Bolognetti, ad initum a. 1928 consilium continuandae explorationis et col-
lectionis documentorum ad edendas nuntiaturas, Sigismundo Augusto rege
existentes, contulerint. "Remoratam illam editionem ad effectum adducere
intendit Ioannes Fijałek, Commissionis Historicae praeses". Ascitis sibi
adiutoribus Vladimiro Budka et postea etiam eius uxore, Sophia Kozłowska-
Budkowa³⁸², 22 X 1928 a. Romam profectus est, ubi usque ad 15 Decembris

³⁷⁹ Biliński, *IPolacchi*, p. 62.

³⁸⁰ *Nonciature de Flandre (Correspondance d'Ottavio Mirto Frangipani 1595-1606. Vol. 1: 1596-1598*,
ed. L. van der Essen, Rome-Bruxelles 1924) effecit secundam - post primam, documenta medii aevi com-
prehendentem - seriem collectionis *Analecta Vaticano-Belgica*, quae ab Instituto Historico Belgico Romae
publicatur.

³⁸¹ Editionem suam *Epistolae et acta nuntiorum apostolicorum apud Imperatorem 1592-1628, curis
Instituti Historici Bohemoslovenici Romae et Pragae* inceperunt a volumine 4: *Epistolae et acta Antonii
Caetani 1607-1611, Pars 1: 1607, Pragae 1932*, accurate apparato a Milena Linhartová. Ad a. 1946
quattuor tantum volumina edere potuerunt (Linhartová 3 partes voluminis quarti, Zdenek Kisten primam
partem voluminis tertii, nuntiaturam Ioannis Ferreri 1604-1707 complectentis).

³⁸² Vladimirus Budka Romae laboravit ab 22 X 1928 ad 19 IV 1929; a 25 II 1929 ab uxore
adiuvabatur, cfr. *Sprawozdania Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1928/29, p. 27. Unicum vestigium
laborum suorum Budka reliquit in commentario *Papier listów nuncjusza Bongiovanniego*, [De charta

documenta ad nuntiaturas Aloisii Lippomano et Camilli Mentovato, a Vincentio Zakrzewski relicta, cum originalibus conferebat, extensa simul investigatione ad primam nuntiaturam regni Sigismundi Augusti, scil. legationem Hieronymi Martinengo, a. 1548 paractam, et ad nuntiaturam successoris Camilli Mentovato, Berardi Bongiovanni (1560-1563)³⁸³. Eius itaque mandato coniuges Budka multa tum confecerunt apographa, conscripserunt etiam repertorium chronologicum (annos 1548-1563 comprehendens) documentorum Vaticanorum, quae ab Oderico Raynaldo, Augustino Theiner, Erasmo Rykaczewski et Theodoro Wierzbowski edita erant³⁸⁴, necnon composuerunt accurata registra rerum Polonicarum ex minutis brevium Iulii III et Pauli IV (1550-1559)³⁸⁵.

Collectis his documentis, Fijałek paratus fuit ad eorum publicationem incipiendam, cuius rei testimonium est fasciculus: *Moja nuncjatura 1555-1563. Lippomano-Bongiovanni* [Mea nuntiatura 1555-1563. Lippomano-Bongiovanni]. In quo i.a. invenimus adumbratam introductionem ad editionem epistularum Lippomani et indicem librorum et dissertationum de eius nuntiatura Polona conscriptarum (mentionem etiam fecit nihil novi afferentis commentarii Ceslai Frankiewicz, cui inscribitur: *Ze studiów nad soborem narodowym w Polsce. Nuncjusz apostolski Ludwik Alojzy Lippomano w Polsce* [Studia de concilio nationali in Polonia. Nuntius apostolicus Ludovicus Aloisius Lippomano in Polonia], Rzeszów 1914)³⁸⁶. Sed, proh dolor, eiusmodi proposita iam a. 1929 diuturna primum aegritudine, deinde morte Ioannis Fijałek, quae secuta est 22 X 1936 a., abrupta sunt³⁸⁷. Relictae sunt post illum, praeter supranominatas adnotationes in theca collectiva contentas, 4 primae *Thecae Nuntiaturarum*, signatae I. *Nuntiatura 1548-1563*³⁸⁸. In quibus documenta quidem secundum singulos nuntios, sed non ordine chronologico, disposita sunt et in statu, ut ita dicamus, crudo inveniuntur. Apographa saepe minus accurate confecta, saepe etiam duplicata sunt. Certa et congruens divisio in volumina deest. Theca I complectitur annos 1548-1555. Ad nuntiaturam Hieronymi Martinengo continet apographa septem documentorum, quae ad usum Vincentii Zakrzewski iam olim confecta erant³⁸⁹. Nuntiatura Lippomani occupat secundam partem thecae I, integram thecam II et

epistularum nuntii Bongiovanni], "Silva rerum", 4 (1928), p. 182-184.

³⁸³ Cfr. relationem Ioannis Fijałek in BPAN Cracoviae, ms. 8501 s.f. et relationem secretarii generalis Academiae, RAUK, A. 1928/29, p. 24-28.

³⁸⁴ Cfr. relationem secretarii generalis pro a. 1928/29 (ut supra), p. 27. Apographa et indices servantur in BPAN ms. 8501.

³⁸⁵ Ex AV, *Arm.* 42, vol. 6-9, 11 et *Arm.* 44, vol. 2, 4, 10. Omnia servantur in memorato ms. 8501 in BPAN Cracoviae.

³⁸⁶ Fasciculus iste servatur hodie in BPAN ms. 8501 s.f.

³⁸⁷ Cfr. RAUK, A. 1936/37, p. 29.

³⁸⁸ Hodie in BPAN, mss. 8497-8500. Accuratam descriptionem documentorum in eis servatorum vide: Wojtyska SP, p. 200-202.

³⁸⁹ *Estado (Libros de Berzosa)*, leg. 2002.

initium thecae III. Apographa saepe duplicata et pluribus manibus, ad varia tempora pertinentibus, exarata sunt. Veterrima omnium sunt apographa Expeditionis Romanae a. 1886 peractae, quae ex manuscripto *Barb.Lat.* 5805, nunc in Bibliotheca Vaticana asservato, confecta erant. Habentur praeterea exemplaria commercii epistularum eiusdem nuntii, a Iosepho Korzeniowski ex *Libros de Berzosa*, quos vocant, (legajo 2008 et 2010) in Archivo Generali Septimaniae exscripta, necnon documenta, maximam partem a Vladimiro Budka in Tabulario Vaticano (*Arm.* 44, *Archivum Arcis et Fondo Borghe-se*)³⁹⁰ et in Bibliotheca Vaticana (codices *Chigi et Barberini Latini*)³⁹¹ descripta. Adest etiam apographum unius documenti ex Tabulario Status Neapolitano³⁹².

Documenta ad nuntiaturam Camilli Mentovato, in theca III contenta, constant tantummodo apographis Expeditionis Romanae a. 1886 peractae³⁹³ et apographis a Vladimiro Budka ex minutis brevium Pauli IV confectis³⁹⁴. Nuntiatura vero Berardi Bongiovanni, quae finem thecae III et totam thecam IV occupat, constat exemplaribus codicis AV *Nunziatura di Polonia* 170A, descripti in extenso a participibus Expeditionis Romanae, quae a. 1886 fuit, et commercio epistularum eiusdem Bongiovanni cum cardinali Ioanne Morone (maxima eorum pars servatur in Archivo Vaticano, *Nunziatura di Polonia* 5A)³⁹⁵. In summa, "omnia haec scripta, elaboratu difficillima, tum quod trunca et imperfecta sunt, tum quod apographa saepe parum diligenter et minus accurate cum originalibus collata esse videntur, partim vero nonnisi consignata sunt, iterum accuratius examinanda et explenda, antequam typis mandari poterunt; editore denique opus habent, qui eiusmodi laborem recipiat et opus ad effectum perducatur"³⁹⁶.

Fijałek minime intendebat operam suam ad editionem "suae" tantum nuntiaturae circumscribere. Moderator editionis totius seriei I, iam mense Ianuario 1930 a. Henrico Barycz iniunxit, ut descriptas iam prius epistulas Ioannis Francisci Commendone (1563-1565), ad s. Carolum Borromaeum datas, cum originalibus conferret et expleret³⁹⁷. Quem laborem Barycz usque ad mensem Iunium 1930 a. Romae exsequabatur. Mense vero Iulio, primus ex Polonis, perlustravit copiosa "Commendoniana", quae tunc temporis adhuc in Tabulario Magherini-Graziani Tiferni (alias in Civitate Castelli) servabantur

³⁹⁰ AV, *Arm.* 44, vol. 2; AA I-XVIII 4351, 5226, 5363, 6540, 6541, 6543; *Fondo Borgese* I 163-169, I 825-827.

³⁹¹ BV, *Chigi* L.III. 58 et R.I. 26; *Barb.Lat.* 822, 851 et 5715.

³⁹² *Fondo Carte Farnesiane*, fasc. 714.

³⁹³ AV, *Lettere di Principi* 11; BV, *Chigi* M. I. 4.

³⁹⁴ AV, *Arm.* 44, vol. 2 et *Nunz. di Polonia* 170A (exemplar instructionis).

³⁹⁵ Magnam partem eiusmodi litterarum commercii iam prius edidit A. Theiner VMPL II, p. 658-705.

³⁹⁶ *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1937/38, p. 30.

³⁹⁷ Apographa Expeditionum Romanarum ex *Barb.Lat.* 5798 et ex AV, *Lettere di Principi*; cfr. relationem in RAUK, A. 1929/30, p. 22-23.

(efficiebant partem hereditatis, ab Antonio Maria Graziani, secretario nuntii, post se relictae). Partem eiusmodi documentorum Florentiae photographice depingendam curavit³⁹⁸.

Investigationem tamen suam Barycz perficere non potuit. Ad documenta ab illo collecta nonnisi a. 1934 viri docti iterum se convertere potuerunt. Subsidio ab auctoritatibus publicis et a privatis personis, i.a. a comite Antonio Lanckoroński, obtento, Ioannes Fijałek munus continuandae investigationis sacerdoti Miecislao Żywczyński committere potuit, qui iam a. 1930 mandato Abdonis Kłodziński, historiae iuris Polonici studiosi, describendis ex Regestis Lateranensibus et Vaticanis documentis ad Poloniam spectantibus operam dabat³⁹⁹. Żywczyński, cum in Italia commoraretur (7 III - 21 IV 1934), collectionem Henrici Barycz novis repertis explebat. Ita in oppidulo Morcote in Helvetia invenit nonnihil commercii litterarum nuntii Ioannis Francisci Commendone, iam a. 1899 satis neglegenter publicati⁴⁰⁰, quod cum apographis in Bibliotheca Vaticana servatis (*Barb.Lat.5798*) contulit⁴⁰¹. In Poloniam reversus, Żywczyński documenta ad nuntiaturam Ioannis Francisci Commendone spectantia integrabat et supplebat. Ultimam expeditionem suam in Italiam aestate a. 1937 eo consilio suscepit, ut explorationes concluderet et ad parandam editionem se tandem converteret. Inquisitionibus Venetiis, in Tabulario Magherini-Graziani (ad cuius codices ei accessus Florentiae permissus erat) et Romae peractis, pauca tantum nova repperit documenta, quibus illa, quae iam prius collecta et elaborata erant, complere potuit⁴⁰².

Quam tamen editionem, licet iam tantopere processerit, antequam secundum omnium gentium exardesceret bellum, Żywczyński ad effectum adducere non potuit. Bello autem confecto ad eam non rediit, quoniam documenta ab ipso collecta periisse affirmabatur⁴⁰³. Servata tamen sunt et nunc in Bibliotheca Academiae Scientiarum Polonae Cracoviae asservantur. *Theca Romana* 33 continet apographa commercii epistularum Ioannis Francisci Commendone, in Tabulario Vaticano (*Lettere di Principi* 22-28, *Nunziatura di Polonia* 5) a Iosepho Korzeniowski a. 1886 confecta⁴⁰⁴. *Theca autem Commendone I* continet apographa recentiora, partim ab Henrico Barycz, partim a Miecislao Żywczyński exarata⁴⁰⁵. Denique in *Theca Commendone II* depo-

³⁹⁸ Cfr. *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1930/31, p. 19.

³⁹⁹ Ibidem, p. 20 et relatio pro a. 1934, RAUK, A. 1933/34, p. 31.

⁴⁰⁰ *Lettere di sovrani, principi e prelati dirette a Pio IV, al Card. Borromeo ed altri (1561-1630). Dagli autografi in casa Paleari a Morcote*, "Bollettino Storico della Svizzera Italiana", 21 (1899), p. 28-33, 73-76.

⁴⁰¹ Cfr. *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1933/34, p. 31-32.

⁴⁰² Cfr. relationem secretarii Academiae in RAUK, A. 1937/38; vide etiam relationem ipsius Żywczyński, manu propria scriptam, de utraque exploratione sua in exteris facta, in BPAN, ms. 8490, pars 2 (s.f.).

⁴⁰³ Cfr. Schramm, p. 210. Informationem hanc confirmavit ipse Żywczyński adhuc a. 1971.

⁴⁰⁴ BPAN, ms. 8376.

⁴⁰⁵ Nunc in BPAN Cracoviae ms. 8490, pars 1 (s.f.).

sita sunt ipsius Żywczyński apographa, una cum accurata codicum descriptione, appendicibus, photocopiis (pretiosum regestum originale epistularum Ioannis Francisci Commendone ex Tabulario Familiae Magherini-Graziani) et diligentissima relatione de investigationibus in tabulariis exteris peractis. Ex hac relatione sequitur collationem "Commendonianorum" cum originalibus ad finem deductam esse⁴⁰⁶. Quibus documentis nemo hactenus usus est, praeter ipsum Żywczyński, qui anno 1962 eisdem nixus, commentarium suum de origine nuntiaturae Ioannis Francisci Commendone in Polonia publicavit⁴⁰⁷.

A. 1934 inchoati sunt labores, cum paranda editione epistularum commercii reliquorum etiam nuntiorum, qui Sigismundo Augusto rege munere suo fungebantur, coniuncti, quorum onus sacerdos Thaddaeus Glemma umeris suis imponere voluit. Qui igitur inde a mense Ianuario ad Aprilem 1934 a. in Tabulario Vaticano explorabat et colligebat documenta ad nuntiaturam Iulii Ruggieri (1565-1568) et Vincentii Dal Portico (1568-1572) pertinentia⁴⁰⁸. A Februario vero usque ad Iunium a. 1937 documenta prius collecta, praesertim ad nuntiaturam Iulii Ruggieri, cuius elaboratio iam satis processit, iterum Romae, postea etiam Florentiae (in tabulario familiae Graziani), deinde in Tabulario Status Austriaco Vindobonae integranda et explenda curabat⁴⁰⁹. Primo vere a. 1939 rursus Romam profectus est, ut fontes ad utrumque supranominatum nuntium et ad legationem cardinalis Commendone a. 1572 spectantes, "tum etiam ad sequentia nuntiaturae Polonae volumina edenda"(!), colligeret⁴¹⁰. Interea temporis Glemma res ad editionem commercii litterarum Iulii Ruggieri hactenus collectas, quaerendo et investigando in tabulario episcoporum Varmiensium Frauenburgi (ubi epistulae communes Stanislai Hosii et Iulii Ruggieri servabantur)⁴¹¹ et in tabulariis Polonis explere et locupletare studebat⁴¹².

Ex relatione, quam Glemma de omnibus inquisitionibus suis scripsit, clare sequitur illum, ad nuntiaturam tantum Iulii Ruggieri quod attinet, accuratam et fere completam investigationem perfecisse (non tamen explorasse eiusdem nuntii epistulas, Mediolani in Bibliotheca Ambrosiana servatas);

⁴⁰⁶ BPAN, ms. 8490, pars 2 (s.f.).

⁴⁰⁷ *Sprawa wysłania nuncjusza papieskiego do Polski w 1563 r.* [De nuntio pontificio a. 1563 in Polonia mittendo], in: *Wieki średnie., Prace ofiarowane Tadeuszowi Manteufflowi w 60 rocznicę urodzin*, Warszawa 1962, p. 283-2.

⁴⁰⁸ Cfr. *Sprawozdanie Sekretarza Generalnego*, RAUK, A. 1934/35, p. 35. Iulii Ruggieri aliquot epistulas prius descripsit V. Zakrzewski, et Vincentii Dal Portico (iam a. 1887/8) I. Fijałek. Apographa haec servantur nunc in BPAN Cracoviae, ms. 8501 (s.f.). Confecto illo itinere, Glemma publicavit brevem commentarium: *Zapiski nuncjusza Wincentego Dal Portico z roku 1568* [Annotationes nuntii Vincentii Dal Portico a. 1568 factae], "Collectanea Theologica", 17 (1936), p. 273-288.

⁴⁰⁹ Cfr. relationes secretarii generalis Academiae, RAUK, A. 1936/37 p. 29 et A. 1937/39, p. 28.

⁴¹⁰ Cfr. RAUK, A. 1938/39, p. 27 et 117.

⁴¹¹ Nunc Archivum Dioecesis Varmiensis Olstini (ADWO).

⁴¹² Cfr. RAUK, A. 1937/38, p. 30.

reliqua multis adhuc supplementis indigebant⁴¹³. Finito autem bello, propter non parvas difficultates, quibus Facultas Theologica Universitatis Iagellonicae, cuius pro-decani munere fungebatur, obviam ire coacta est, Glemma ad explorandas elaborandasque nuntiaturas suas reverti iam non potuit. 5 X 1953 a. omnia scripta et documenta ab ipso collecta primum Instituto Servandis Documentis praeposito (Zakład Dokumentacji PAN), postea vero Bibliothecae Academiae Scientiarum Polonae Cracoviae tradita sunt⁴¹⁴.

Thecae Nuntiatarum, quae vocantur, documenta a Thaddaeo Glemma collecta continentes, sunt omnino 6 et in inscriptione nomen eius exaratum habent. Prima ex duabus thecis, ad nuntiaturam Iulii Ruggieri pertinentibus, parata fuisse videtur, ut statim typis mandaretur, documenta enim in ea contenta ordine chronologico disposita sunt et apparatu, quem vocant, critico instructa. Quae tamen documenta fere omnia (paucissimis tantum exceptis) parum accurate et manu descripta sunt. Inscriptiones tantum, manuscriptis affixae, prelo dactylographico sunt exaratae⁴¹⁵. Sub aspectu, ut ita dicamus, heuristicum documenta illa summopere incompleta sunt propter amissionem epistularum originalium nuntii ad cardinalem nepotem Michaellem Bonelli datarum, quae - praeter tot conatus et temptationes - ad nostros usque dies inveniri non potuerunt. Documenta auxiliaria ad editionem actorum Iulii Ruggieri in sequenti theca continentur, et sunt plerumque annotationes bio- et bibliographicae prorsus inordinatae et incompositae. In 4 thecis, quae sequuntur, *Glemma III/1, III/2, IV et V* signatis, collocata sunt scripta, ad nuntiaturam Vincentii Dal Portico et legationem Ioannis Francisci Comendone pertinentia, et sunt accurate descripti ac secundum loca, ex quibus proveniunt, dispositi integri codices ex Archivo Vaticano (*Nunziatura di Polonia* 1, 1A, 2, 3, 6, 172) et Archivo Magherini-Graziani Tifernatensi (mss. 25 et 50 - eo pretiosiores, quod nunc magna ex parte dispersi), necnon apographa singulorum documentorum, in variis partibus Archivi Vaticani⁴¹⁶ et multis tabulariis Polonis confecta. In relatione sua editor queritur, documenta ex tabulariis Vindobonensibus adhuc sibi deesse⁴¹⁷.

Thecae Thaddaei Glemma claudunt illud temporis spatium, quo apographa fontium, ad editionem actorum nuntiaturae Polonae spectantium, ab illis, qui Expeditionibus Romanis Academiae Scientiarum interfuerunt, et a membris sectionis Cracoviensis Academiae Scientiarum Polonae colligebantur. Annis, qui secuti sunt, publicabantur et ad nostros usque dies publi-

⁴¹³ Relatio haec servatur in *Theca Nuntiatarum* (nunc in BPAN Cracoviae, ms. 8501 (s.f.)).

⁴¹⁴ Nunc mss. 8503-8508 in BPAN Cracoviae. In prima theca legitur annotatio (manu Casimiri Lepszy facta?) de thecis a Glemma interceptis 5 X 1953 a.

⁴¹⁵ Cfr. BPAN, ms. 8503.

⁴¹⁶ Praecipue ex *Misc. Arm.* III, mss. 68, 69, 82; *Conc. di Trento* 33 et singula documenta ex *Archivo Arcis* (AAI-XVIII).

⁴¹⁷ Cfr. BPAN, ms. 8501 (s.f.).

cantur varii generis repertoria, documenta "microfilmica" arte imprimuntur et hic atque illic a variis editoribus etiam consilia capiuntur selectos fontes ad historiam nuntiaturae attinentes publicandi. Nec tamen antea - priusquam superius oriretur bellum - singula defuerunt temptamina aliqua maioris momenti nuntiaturae nostrae monumenta historica illustrandi (ut sunt diarium Ioannis Pauli Mucante a. 1596 conscriptum et finalis relatio Claudii Rangoni a. 1604 exarata)⁴¹⁸. Nominanda est etiam pretiosa descriptio nuntiaturae Camilli Paulucii (1728-1738) Matthiae Loret in eius libro *De Polonis saec. XVIII Romae habitantibus*⁴¹⁹, qui fructus fuit eius investigationum olim in Tabulario Vaticano peractarum. Nec praetereunda est etiam satis ampla quidem, sed parum subtilis dissertatio Rinaldi Przeddziecki de protocollo, ut aiunt, diplomatico nuntiorum apostolicorum, qui penes aulam regiam Poloniae tempore partitiones eius praecedente munere suo functi sunt⁴²⁰.

6. De studiis nuntiaturae Poloniae disparatis (1939-1989)

Non semper verum est illud: inter arma silent Musae. Superioris enim belli atrocitates atque vastationes, et quae illud secutae sunt difficultates, effecerunt quidem, ut historiae cuiuslibet nuntiaturae, et non solum Poloniae, investigatio et actorum eius editio fere omnino cessaret, sed eodem simul tempore mirum in modum non parum contulerunt ad melius cognoscendas fontium nuntiaturae collectiones, quae in Vaticano Tabulario custodiuntur. Quod magna ex parte factum est cura et opera sacerdotis Valeriani Meysztowicz (†1982), professoris universitatis Vilnensis, qui munere consilarii legationis Poloniae apud Sanctam Sedem tum fungebatur. Is enim, cum una cum aliarum nationum, quae bellum cum Germanis gerebant, legatis intra Vaticanae arcis muros refugium sibi quaerere et delitescere coactus esset, quattuor et supra annorum otia illa labori in tabulario pontificio, ad quod ei liber patebat accessus, ex toto dicavit⁴²¹. Investigationem rerum Polonicarum ince-

⁴¹⁸ Cfr. M. Smolarski, *Podróż przez Polskę legata papińskiego w 1596 r.* [De itinere a. 1596 a legato pontificio per Poloniam facta], "Przegląd Powszechny", A. 49 (1932), T. 93, p. 353-365; S. Bodniak, *Polska w relacji włoskiej z roku 1604* [Polonia in relatione Italica ex a. 1604], "Pamiętnik Biblioteki Kórnickiej", 2 (1930), p. 26-29 - praebet informationem de vetere versione Polonica "Relationis de Regno Poloniae, anno superiore inceptae, sed varias ob difficultates nonnisi 20 die Iulii a. 1604 Cracoviae ad finem deductae" (Relacya o Królestwie Polskiem, zaczęta roku przeszłego, a dla różnych ważnych utrudnień dokończona dopiero 20 lipca 1604 w Krakowie), quae in BPAN in Kórnik servatur, ms. 267 f. 44-141.

⁴¹⁹ *Życie polskie w Rzymie w XVIII w.*, Rzym 1934.

⁴²⁰ Renaud Przeddziecki, *Diplomatie et protocole à la cour de Pologne*, Vol. 1, Paris 1934, p. 3-94 ("La Nonciature Apostolique en Pologne"). Nullam habet rationem fontium, ab Expeditionibus Romanis collecturum. Nititur praecipue *Vademecum* Marescotti, editionibus E. Rykaczewski et A. Theiner et minus accuratis lucubrationibus Bartoszewicz et Pierling.

⁴²¹ Cfr. C. Lanckorońska, *Walerian Meysztowicz, "Antemurale"*, 26 (1982/3), p. 218-223.

pit *Repertorio bibliographico pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani*, elencho scil. 140 operum et commentariorum, necnon illarum Tabularii Vaticani sectionum, ex quibus auctores ad scribendos libros et commentarios suos fontes hauserunt. Repertorium illud, una cum adiuncta brevi descriptione investigationum in Archivo Vaticano ad illud usque tempus a Polonis historiae studiosis peractarum, et tabulis dispositionem singularum tabularii partium illustrantibus, Meysztowicz iam a. 1943 Vaticani publicavit⁴²². Aliud autem opus et quidem maius Valeriani Meysztowicz, illo tempore scriptum, scil. *Archivi Secreti Vaticani prospectica descriptio in schedis*, hucusque typis non est impressum. Haec amplissima, 247 paginis constans, descriptio singularum tabularii collectionum, una cum indice inventariorum ad eas spectantium, e principali in hac re opere Caroli Augusti Fink, *Das Vatikanische Archiv. Einführung in die Bestände und ihre Erforschung*, licet eodem 1943 a. edito, minime pendet⁴²³. Exemplar dactylographicum huius catalogi Valeriani Meysztowicz in Bibliotheca Vaticana nunc servatur. Inde ab a. 1946 non expletum nec locupletatum, non parum pretii et ponderis, quod initio habuit, hodie iam perdidit.

Semper actualis, ut aiunt, et procul dubio pretiosissimus Valeriani Meysztowicz laborum illius temporis fructus existimari potest accuratus catalogus chirographorum Vaticanae partis Tabularii Nuntiaturae Varsaviensis, a. 1944 in arce Vaticana publicatus⁴²⁴. Cuius auctor non solum eiusdem tabularii volumina diligenter perlustravit et descripsit, sed etiam laborem suscipit, secundum severa doctrinae praecepta, illorum nuntiorum vitas enarrandi, quorum epistularum commercium in tabulario asservatur. Eiusmodi biogrammata, quae dicuntur, in proemio catalogi posita, ad nostros usque dies maxime completam, ut ita dicamus, documentationem nuntiaturae Nicolai Serra (1754-1760) eiusque successorum usque ad a. 1796 nobis suppediant⁴²⁵. Sub patrocinio eiusdem Meysztowicz praeparatum est quoque atque editum inventarium actorum nuntiaturae Poloniae, "quae partem Archivi Secretariatus Status constituunt", auctore Petro Savio, tabulariorum Secretariatus Status peritissimo, quod in duas partes, secundum rerum et temporum ordinem, divisum, omnia complectitur acta, quae in sectione *Nunziatura di Polonia* asservantur⁴²⁶.

Hoc consilium, tam tempestive initum, acta nuntiaturae Poloniae explorandi, quod etiam postea a Valeriano Meysztowicz et ab Instituti Historici

⁴²² Uti 11 fasc. "Studiorum Theologicorum Vilnensium" ("Wileńskie Studia Teologiczne"). "Editio nova, photographica, correctata et aucta" a. 1971 prodiit.

⁴²³ Uterque autem usus est veterrimo completo inventario Gisberti Brom, *Guide aux Archives du Vatican*, Rome 1910 (editio secunda aucta, Romae 1911).

⁴²⁴ *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis*; cfr. supra, cap. I, notam 203.

⁴²⁵ Meysztowicz ANV, p. 9-43.

⁴²⁶ P. Savio, *De actis Nuntiaturae Poloniae, quae partem Archivi Secretariatus Status constituunt*, Vaticani 1947.

Polonici, Romae a. 1945 ab eo conditi⁴²⁷, sociis continuabitur, adiungitur communi tunc inter rerum gestarum studiosos cursui ad investigationes et studia auxiliaria, qui - ante superius bellum inchoatus - bello confecto ex eisdem nuntiaturarum studiis rursus effloruit maioraque cepit incrementa. Exstincto enim paululum primo explorandi et edendi ardore et studio, manifesto apparuit, novis investigationibus et editionibus praemittenda esse ampliora inventaria documentorum (non solum Secretariatus Status), accuratorem indagatorem vinculorum, quae inter nuntiaturas et alia Sedis Apostolicae ministeria intercedebant, diligentem comparationem historicae singularum nuntiaturarum evolutionis in variis Europae regionibus, vastiorem denique et subtiliorem doctrinam de ipsis fontibus a nuntiaturis editis. Non paucas ex huiusmodi quaestionibus iam a. 1932 animadvertit Leo Just, editor actorum nuntiaturae Coloniensis, qui - si opus illud suum de statu studiorum et de officiis editorum consideres ac contempleris - verus in hac re antesignanus et praecursor reputari potest⁴²⁸. Finito iam bello, a. 1948 Ioannes Kramer easdem quaestiones iterum adortus est⁴²⁹. Sed non nisi magna resonantia et repercussione, quam relationes Iulii Battelli et eiusdem Just, a. 1955 in X Conventu Studiis Historicis promovendis Romae pronuntiatae, habuerunt⁴³⁰, factum est, ut non solum actorum nuntiaturae editiones de integro instaurarentur renovarenturque, sed etiam accuratae susciperentur inquisitiones in diversas partes procedentes et varia publicarentur opera auxiliaria. In qua re promovenda primas procul dubio obtinent partes bene meriti illi editores "classicae seriei", *Nuntiaturberichte aus Deutschland* nuncupatae⁴³¹.

Contemplari nunc volumus omnia eiusmodi conamina et incepta, in quantum historiae nuntiaturae Polonae investigandae eiusque actis edendis usui esse possunt. Incipiamus oportet ab operibus, historiam relationum S. Sedis cum statibus exteris generaliter illustrantibus. Itaque post fortuitas quasdam et quasi marginales de nuntiatura Polona mentiones, in vetustioribus dissertationibus factas⁴³², ipsa tandem eiusque peculiaritas clare animadverta est in libro Petri Blet SJ, qui *Histoire de la Représentation Diplomatique du Saint Siège des origines à l'aube du XIX siècle*⁴³³ inscribitur. Instructio, facultates et opera Alberti Bolognetti (1581-1585), in comparatione cum muner-

⁴²⁷ Cfr. Lanckorońska, *Walerian Meysztowicz*, p. 220.

⁴²⁸ Cfr. eius *Die Erforschung der päpstlichen Nuntiaturen, Stand und Aufgaben, besonders in Deutschland*, QFIAB, 24 (1932/33), p. 244-277.

⁴²⁹ *Die Erforschung und Herausgabe der Nuntiaturberichte*, MÖSA, 1 (1948), p. 492-514.

⁴³⁰ Cfr. *X Congresso Internazionale di Scienze Storiche*. Roma 4-11 IX 1955: *Relazioni*. Vol. 1, Firenze 1956, p. 451-477; *Riassunti delle comunicazioni*, Vol. 7, Roma 1956, p. 101; *Atti*, Roma 1957, p. 171-5.

⁴³¹ Cfr. H. Lutz, *Nuntiaturberichte aus Deutschland, Vergangenheit und Zukunft einer "klassischen" Editionsreihe*, QFIAB, 45 (1965), p. 274-342.

⁴³² Cfr. R. Graham, *Vatican Diplomacy*, Princeton 1959; I. Cardinale, *Le Saint-Siège et la diplomatie*, Paris 1962; K. Walf, *Die Entwicklung des päpstlichen Gesandtschaftswesens in dem Zeitabschnitt zwischen Dekretalenrecht und Wiener Kongress 1159-1815*, München 1966.

⁴³³ Città del Vaticano, 1982.

bus et officiis ceterorum Gregorii XIII nuntiorum, enarratae sunt in eo sicut propriae eius Europae partis, in qua nuntius eiusque adiutores munere suo functi sunt⁴³⁴. Haec insertio nuntii apostolici in Polonia in librum, de historia diplomaticae Sanctae Sedis generaliter tractantem, partim inde provenire videtur, quod editores actorum nuntiaturae operum et experientiae collegarum suorum magis in dies rationem habere coeperunt. Animadvertendum est etiam editiones actorum Caligarii et Bolognetti, a. 1916 inchoatas, in Europa Occidentali primum annotatas esse nonnisi a. 1932, in primo scil. indice editionum omnium nuntiaturarum ab editrice Belga Luciana van Meerbeek publicato⁴³⁵. Id genus catalogi, qui superiore bello finito elaborati sunt a Carolo Augusto Fink⁴³⁶, Ioanne Kramer⁴³⁷, Leone Halkin⁴³⁸, maximo auxilio sunt omnis generis studiis comparatis, in quibus modo naturali nuntiaturae etiam Poloniae, oblivione prorsus obrutae, locum sibi debitum recuperaverunt⁴³⁹.

Aliud genus auxiliorum, editoribus nuntiaturarum magnopere utilium et ad studia comparata omnino necessariorum, sunt indices personarum, cum quibus nuntiis litterarum commercium intercedebat. Itaque vetustioribus repertoriis nuntiorum, secretariorum status et protectorum singulorum statuum⁴⁴⁰ viri docti, qui in Tabulario Status Austriaco Vindobonae operam praestabant, adiunxerunt (duobus constans voluminibus) inventarium nominum et datarum adventus et discessus omnium legatorum, qui apud singulas Europae regias inde a Tractatu Pacis Westfaliensi a. 1648 initae usque ad Conventum illum omnium Europae principum Vindobonensem a. 1815 celebratum, provincias sibi commissas expleverunt⁴⁴¹. In hoc inventario collocati sunt quoque tam omnes nuntii pontificii apud aulam regiam Poloniae, quam oratores Poloni apud curiam Romanam munere suo functi.

Aliud eiusdem generis opus, continuationem videlicet catalogorum nuntio-

⁴³⁴ Hanc peculiaritatem auctor significat in singulis paragraphis operis sui, cum de nuntiatura Alberti Bolognetti scribit: "La question protestante", "La provision des évêchés", "Paix de la Chrétienté et guerre au Turc" (cfr. p. 295-316).

⁴³⁵ *Les publications concernant les Nonciatures*, "Bulletin de l' Institut Historique Belge de Rome", 12 (1932), p. 207-216.

⁴³⁶ *Das Vatikanische Archiv* (editio 2), p. 173-179.

⁴³⁷ Cfr. supra, notam 429.

⁴³⁸ *Les archives des Nonciatures*, Bruxelles-Rome 1968 (Bibliothèque de l'Institut Historique Belge de Rome, vol. 14).

⁴³⁹ Cfr. H. Jedin, *Nuntiaturberichte und Durchführung des Konzils von Trient*, in: *Nuntiaturberichte und Nuntiaturforschung*, p. 180-213 (de Polonia in p. 207-209).

⁴⁴⁰ De repertoriis H. Biaudet et L. Kartunnen (in quibus nominantur etiam secretarii status) cfr. supra, notam 306; catalogos synchronicos cardinalium protectorum singularum nationum confecit J. Wodka, *Zur Geschichte der nationalen Protektorate der Kardinäle an der römischen Kurie*, Innsbruck - Leipzig 1938.

⁴⁴¹ *Repertorium der diplomatischen Vertreter aller Länder seit dem Westfälischen Frieden (1648)*, 1. Bd (1648-1715), veröffentlicht... von L. Bittner und L. Gross, Oldenburg-Berlin 1936; 2. Bd (1716-1763), von F. Hausmann, Zürich 1950; 3. Bd (1764-1815), von O. Winter, Graz 1965.

rum a Biaudet et Kartunnen olim confectorum, curavit Iosephus De Marchi, historiae relationum diplomaticarum, quas vocant, in Pontificia Academia Ecclesiastica professor, qui a. 1957 in tabulis synchronicis omnes nuntios pontificios inde ab a. 1800 usque ad 1956 iuxtaposuit, nuntiis etiam apud II Rempubicam Polonam inclusis⁴⁴².

Ad penitius cognoscendum et subtilius intellegendum nuntiorum apostolicorum litterarum commercium maximi sane momenti sunt opera, historiam Secretariatus Status illustrantia, a. 1954 a sociis Societatis Goerresianae (Goerresgesellschaft) inchoata⁴⁴³. Mandatu enim eiusdem societatis Andreas Kraus exploranda et describenda curavit originem et exordia istius Sedis Apostolicae ministerii eiusque evolutionem regnantibus Paulo V (1605-1621) et Urbano VIII (1623-1644) summis pontificibus adumbrandam⁴⁴⁴, Iosephus vero Semmler confecit et publicavit repertoria epistularum, quae ex variis orbis terrarum regionibus ad Secretariatum Status datae sunt⁴⁴⁵. Sed, proh dolor, index documentorum ad Poloniam spectantium, in repertorio isto positus, omissionibus minime est immunis⁴⁴⁶. Communi multorum doctorum studio elaborata sunt etiam et publici iuris facta opera, de historia et archivalibus aliorum curiae Romanae ministeriorum tractantia, praecipue vero Congregationis de Propaganda Fide et Congregationis Concilii, cum quibus nuntiis apostolicis vivacissimum intercedere solebat litterarum commercium⁴⁴⁷. Supplementum quoddam ad eiusmodi opera auxiliaria erant permulta inventaria tabulariorum, quae epistulas et acta nuntiorum continebant⁴⁴⁸, necnon accuratae inquisitiones singulorum fontium, qui a nuntiaturis prolati sunt⁴⁴⁹.

Ex omnibus fontium a nuntiaturis editorum generibus maximo semper studio et diligentia a rerum gestarum amatoribus exploratae et examinatae sunt instructiones, nuntiis apostolicis a Sede Apostolica datae. Iam annis 1845-1846 Alexander Przewdziecki 18 instructiones nuntiorum apostolicorum

⁴⁴² Giuseppe De Marchi, *Le nunziature apostoliche dal 1800 al 1956*, Roma 1957.

⁴⁴³ Cfr. Kraus GPS, p. 5.

⁴⁴⁴ Cfr. GPS (ut supra) et *Das päpstliche Staatssekretariat unter Urban VIII. 1623-1644*, Rom 1963 (Kraus PSS). Cfr. etiam summarium opus L. Hammermayer, *Grundlinien der Entwicklung des päpstlichen Staatssekretariates von Paul V. bis Innozenz X.*, RQ 55 (1960), p. 157-202.

⁴⁴⁵ J. Semmler, *Das päpstliche Staatssekretariat in den Pontifikaten Pauls V. und Gregors XV. 1605-1623*, Rom 1969.

⁴⁴⁶ Cfr. ibidem, p. 18, 27-29, 33-34.

⁴⁴⁷ Cfr. *Sacrae Congregationis de Propaganda Fide memoria rerum. 350 anni a servizio delle missioni, 1622-1972*, cura et studio Iosephi Metzler edita, Vol. I-II et 2, Rom 1971-1973 (SCPF memoria rerum); *La Sacra Congregazione del Concilio. Quarto Centenario della Fondazione (1564-1964). Studi e ricerche*, Città del Vaticano 1964; cfr. supra, cap. I, p. 51-54, 56.

⁴⁴⁸ Ad nuntiatuam Polonam quod attinet, valde pretiosum est inventarium Valteri Wagner, *Die Bestände des Archivio della Nunziatura di Vienna bis 1792*. "Römische Historische Mitteilungen", 2 (1957-1958), p. 82-203 (comprehendit nonnisi 200 ex 500 manuscriptis, in tabulario illo asservatis). Vide etiam inventarium Iosephi Marri Marques, *Indices del Archivo de la Nunciatura de Madrid, T. 1: 1664-1754*, Roma, Instituto Español de Historia Ecclesiastica, 1975-1976.

⁴⁴⁹ Cfr. supra (cap. I, p. 36) dissertationem Conradi Repgen de "avvisi".

in Polonia collegit eo, ut illas typis divulgaret⁴⁵⁰. A. 1904 editores Belgae congesserunt et edendas curaverunt omnes instructiones nuntiorum apostolicorum, qui annis 1596-1635 in Flandria fuerunt⁴⁵¹. Anno autem 1932 Leo Just Germanis historiae studiosis suggestit, ut instructiones nuntiorum in Germania similiter publicarentur⁴⁵². Tandem a. 1971 editores actorum nuntiaturarum aliquot nationum, in Instituto Historico Germanico Romae congregati, ut de quaestionibus ad actorum nuntiaturarum editionem attinentibus simul agerent, proponente Petro Blet consilium ceperunt instructiones nuntiorum omnium regionum Europae, secundum singulorum pontificatum ordinem, publicandi⁴⁵³. Consilium eiusmodi responsum esse voluit ad necessitatem in dies crescentem varias editiones coordinandi easque ad lectorum animos alliciendos aptiores reddendi, nam - praeter omnem expectationem - nimiam historiae studiosorum curiositatem hactenus non excitarunt⁴⁵⁴. Hoc munus obeundum Institutum Historicum Germanicum suscepit, quod a. 1975 Nicolao Jaitner in mandatis dedit, ut pararet editionem instructionum nuntiorum omnium, qui Clemente VIII pontifice maximo (1592-1605) apud regias principum Europae munere suo fungebantur⁴⁵⁵. Laborum eius fructum efficit magnum, duobus tomis constans opus, quod inscribitur: *Die Hauptinstruktionen Clemens' VIII. für die Nuntien und Legaten an den europäischen Fürstenhöfen 1592-1605* (Tübingen 1984), in qua publici iuris factae sunt 99 instructiones una cum uniuscuiusque nuntii vitae narratione et repertorii collectionum archivalium, in quibus documenta originalia vel eorum apographa, necnon litterarum commercia nuntiorum cum Secretariatu Status, conservantur.

In hoc, propter eximiam editoris eruditionem et industriam, sane admirabili opere invenimus quoque instructiones et vitae descriptiones legatorum et nuntiorum apostolicorum in Polonia: Georgii Radziwiłł et Henrici Caetani cardinalium, nuntiorum Germanici Malaspina et Claudii Rangoni, nuntiorum extraordinariorum Bartholomaei Powsiński (Powsinowski), Benedicti Mandina et Alexandri Komulović⁴⁵⁶. In vita eorum enarranda et in commentariis ad ipsorum instructiones auctor minimam tantum habere potuit rationem plurium operum lingua Polona scriptorum, de eis tractantium; quo

⁴⁵⁰ *Wiadomość bibliograficzna*, p. 3.

⁴⁵¹ A. Cauchie, R. Maere, *Recueil des instructions générales aux nonces de Flandre (1596-1635)*, Bruxelles 1904.

⁴⁵² Cfr. *Die Erforschung*, p. 253; a. 1955 Just proposuit, ut editio ista ad alias quoque nuntiaturas extenderetur (cfr. *Atti*, p. 174).

⁴⁵³ Cfr. Lutz RIN, p. 167-170; vide etiam introductionem ad *Nuntiatuiberichte und Nuntiatuiberforschung*, p. VII-XII, et introductionem ad *Hauptinstruktionen* (Jaitner HI) I, p. II.

⁴⁵⁴ *Nuntiatuiberichte und Nuntiatuiberforschung*, p. IX; cfr. Lutz RIN, p. 169.

⁴⁵⁵ *Nuntiatuiberichte und Nuntiatuiberforschung*, p. XI; cfr. Jaitner HI, I, p. VI.

⁴⁵⁶ Instructionem pro G. Radziwiłł (quam iste forsitan nunquam obtinuit) et pro G. Malaspina reperi non potuit, itaque vitas tantum eorum et indices aliorum fontium, ad eorum missionem spectantium, publicavit.

factum est, ut actio et opera illorum in naturalibus rerum et locorum adiunctis sufficienter commonstrari non posset. Qui quidem defectus, qui in tam ampla editione vitari vix possunt, ad alias etiam regiones quod attinet, dubitare nos cogunt de opportunitate huius novi propositi, quo dum uni incommodo occurrere cupitur, in aliud incurritur. Ex instructionibus enim ad unum pontificatum pertinentibus in unum collectis facilius quidem intellegi possunt regnantis pontificis studia in rebus publicis generalia, sed cum eiusmodi documenta a singulorum nuntiorum epistulis et actis seiuncta sunt, ad intellegendas praecipuarum quaestionum solutiones, a Sede Apostolica singulis statibus et ecclesiis localibus oblatas, parum utilia esse videntur.

Quae de instructionibus in unum congregandis ac edendis suscepta erat decisio, cogitabatur etiam aliquando de relationibus finalibus a nuntiis confectis. Res tamen ad effectum adducta non est, ita ut relationes istae separatim tantum, una cum singulorum nuntiorum epistulis, vel - si epistulare commercium nuntiorum nondum sit editum - omnino a parte publicarentur. Cuius separatae publicationis plurium relationum nuntiorum, saeculo XVII exunte et toto XVIII in Germania munus suum fungentium, praecipuum meritum habet Heribertus Raab, eximius febronianismi ac josephinismi, quos vocant, explorator⁴⁵⁷.

Praeter haec editorum Germanorum incepta, quibus videlicet proponitur mutatio totius rationis edendarum nuntiaturarum, rerum gestarum studiosis et fontium editoribus magno usui esse possunt vitae nuntiorum descriptae, quae inde ab a. 1960 in *Dizionario Biografico degli Italiani*⁴⁵⁸ publicantur. In 32 tomis, qui hactenus in lucem prodierunt, narrantur etiam vitae 11 legatorum et nuntiorum apostolicorum in Polonia: accuratissime descriptae vitae et opera in Polonia praestita Hippolyti Aldobrandini (sub voce "Clemente VIII") et Ioannis Andreae Archetti (1776-1784), satis bona biogrammata, quae vocantur, Alberici (1746-1754) et Hieronymi (1720-1721) Archinto, Francisci Buonvisi (1672-1675), Hieronymi de' Buoi (1585-1586), Henrici Caetani et Iacobi Cantelmo (1687-1689); bona, sed quae nihil novi adiungunt ad optima studia Ludovici Boratyński, biogrammata Alberti Bolognetti (1581-1585) et Ioannis Andreae Caligarii (1578-1561), et minus feliciter scriptum, erroribus ad nuntiaturam Polonam attinentibus abundans, biogramma Berardi Bongiovanni (1560-1563)⁴⁵⁹. Omnino desideratur descriptio vitae ultimi nuntii apostolici in Polonia, Philippi Cortesi (1935-1947).

Omnia haec supra nominata studia auxiliaria, quae finito iam bello prod-

⁴⁵⁷ Cfr. eius publicationes in *Editionibus contemporaneis* in Tab. XXXVII, XLVII et LIII. Idem editor novum etiam addidit - ad vetustum illud ab A. Meister scriptum - studium de caerimoniali nuntiorum saeculo XVIII in Colonia Agrippina munus fungentium (cfr. *Zum Zeremoniell der Kölner Nuntien*, von H. Raab, RQ 52 (1957), p. 229-239).

⁴⁵⁸ Romae ab Instituto Encyclopaediae Italicae editur.

⁴⁵⁹ Vide biogrammata in Tabulis singulorum nuntiorum.

ierunt, reditum ad ipsas actorum nuntiaturae editiones faciliorem reddiderunt. Quae quidem ab Austriacis primum renovatae sunt, qui a. 1953 septimum volumen secundae seriei *Nuntiaturberichte aus Deutschland* ediderunt⁴⁶⁰. Revera tamen maiora incrementa capere et florere coeperant non nisi post supradictum historicorum conventum Romae a. 1955 celebratum, cum Austriaci et Germani vires et conatus suos multiplicarunt. Austriaci enim a. 1967 finem fecerunt editionis secundae seriei *Nuntiaturberichte*, annos 1560-1572 complectentis⁴⁶¹, quae eis commissa erat, et a. 1970 publicare coeperant epistulas nuntiorum, qui saec. XVIII apud aulam imperialem munus suum expleverunt⁴⁶², anno vero 1973 inchoaverunt editionem actorum nuntiaturae Graecensis⁴⁶³. Institutum Historicum Germanicum Romae a. 1959 de integro instauravit editionem omnium trium sibi commissarum serierum *Nuntiaturberichte* (seriei primae, annos 1533-1559, tertiae 1572-1585 et quartae saec. XVII comprehendentis)⁴⁶⁴. Catholica autem Societas Goerresiana, quae antequam superius omnium gentium ortum esset bellum, *Nuntiaturberichte aus Deutschland nebst ergänzenden Aktenstücken*, annos 1585-1592 amplectentes⁴⁶⁵, edere intendebat, elaborandae edendaequae nuntiaturae Coloniensi totam se dedit. Editionis huius, accuratissimae et secundum aetatis nostrae normas et doctrinae praecepta cogitatae et paratae, fructus sunt 11 volumina epistularum commercii et actorum nuntiaturae Germaniae septentrionalis, ad annos 1585-1624 pertinentium, ita ut haud dubie omnium temporibus nostris existentium huiusmodi editionum fertilissima reputari queat⁴⁶⁶.

Breviter, omnia tria instituta, quae edendis *Nuntiaturberichte aus Deutschland* operam dant, ad annum usque 1987 in universum 46 volumina actorum et litterarum commercii nuntiorum, qui in Sacro Romano Imperio Germanicae Nationis et Domus Austriacae dominiis munere suo functi sunt, publicaverunt.

Fere omnia volumina *Nuntiaturberichte*, quibus acta nuntiorum apostolicorum apud aulam imperialem publicantur, permulta continent documenta, ad res quoque Polonicas spectantia. Quod facile intellegi potest, si rationem

⁴⁶⁰ II. Abt., 2. Bd, *Nuntius Commendone 1560-1562*, bearb. von A. Wandruszka, Graz-Köln 1953.

⁴⁶¹ Bd 8., *G. Delfino und Kardinallegat G. F. Commendone, 1571-1572*, bearb. von J. Rainer, Graz-Köln 1967. Tota series constat 8 voluminibus.

⁴⁶² Publikationen des Österreichischen Kulturinstituts in Rom, II. Abteilung: *Quellen*, II. Reihe: *Nuntiaturberichte*, 1. Bd, *Der Schriftverkehr zwischen dem päpstlichen Staatssekretariat und dem Nuntius am Kaiserhof Antonio Eugenio Visconti, 1767-1774*, bearb. von A. Cornaro, Wien 1970.

⁴⁶³ In serie *Nuntiaturberichte* (ut supra), Sonderreihe: *Grazer Nuntiat*, 1. Bd, *Nuntiat des Germanico Malaspina, Sendung des Antonio Possevino, 1580-1582*, bearb. von J. Rainer, Wien 1973.

⁴⁶⁴ A. 1968 omnia hucusque edita volumina seriei I, a. 1972 seriei II et a. 1973 seriei IV photographice (offset) iterum publicata sunt. Cfr. *Verzeichnis der "Nuntiaturberichte aus Deutschland"*, in: *Nuntiaturberichte und Nuntiaturforschung*, p. XXI-XXIV.

⁴⁶⁵ 5 volumina in 2 seriebus: *Die Kölner Nuntiat* et *Die Nuntiat am Kaiserhofe*; praeterea 2 volumina extra seriem. Cfr. Fink, p. 176-177.

⁴⁶⁶ De editione ista fusius loquor in commentario ad instructionem (cfr. infra).

habeas vinculorum et necessitudinum, quae Poloniam cum Familia Austriaca coniungebant. Nuper etiam editores Germani, "ea potius quae iungunt quam quae separant" ostendere cupientes, in eadem serie *Nuntiatuiberichte* divulgare quoque coeperant acta et litteras nuntiorum, qui in Polonia fuerunt, si eiusmodi documenta mutuae coniunctionis vincula testantur. Praecipue vero volumina, ab Helmodo Goetz, historico de edendis Germaniae nuntiaturis bene merito, publici iuris facta, non pauca id genus documenta continent⁴⁶⁷. Eorum editio reputatur officium historiae studiosis in Polonia oblatum, qui minus facili ad eorum chirographa accessu utuntur. Investigatis documentis ad missionem Aloisio Lippomano, a. 1555 in Poloniam iter facienti, in Germania concreditam spectantibus, Goetz etiam temptavit eius nuntiaturae in Polonia instructionem et facultates elaborare⁴⁶⁸.

Eiusmodi officia Polonis rerum gestarum studiosis praestare non possunt editores actorum remotae nuntiaturae Flandriensis, Belgae, qui ne saeviente quidem bello in *Analectis Vaticano-Belgicis* editiones suas interruperunt⁴⁶⁹. Anno autem 1956, duabus novis sectionibus constitutis, scil. *B (Nonciature de Cologne)*⁴⁷⁰ et *C (Nonciature de Bruxelles)*⁴⁷¹, eas adhuc auxerunt et amplificaverunt. Usque ad a. 1987 in omnibus tribus seriebus Belgicis in lucem simul prodierunt 23 volumina (13 Flandriensia, 5 Coloniensia, 5 Bruxellensia).

Post multorum annorum intervallum, a. 1948 etiam Hispani ad edenda acta nuntiarum suarum iterum se converterunt⁴⁷². Quorum tamen editiones, quamvis aliunde minime contemnendae⁴⁷³, defectu quodam consecutionis laborare videntur, propterea quod varia instituta, sub quorum patrocinio singula volumina parantur (Real Academia de la Historia, Universidad de Navarra, Iglesia Nacional Española Romae, Instituto Español de Historia Eclesiastica, Archivum Vaticanum)⁴⁷⁴, labores suos non satis invicem coordi-

⁴⁶⁷ Cfr. imprimis vol. 17 in serie I: *Nuntiatu Delfinos, Legation Morones, Sendung Lippomanos (1554-1556)*, Tübingen 1970, et vol. 6 in serie III: *Nuntiatu Giovanni Delfinos (1572-1573)*, Tübingen 1982.

⁴⁶⁸ *Zur Nuntiatu Luigi Lippomanos in Polen, 1555-1557*, in: *Miscellanea in onore di Mons. Martino Giusti*, T. 1 (Collectanea Archivi Vaticani, t. 5), Città del Vaticano 1978, p. 331-348. Ignorat meam anteriorem eiusdem nuntiaturae elaborationem, etiam ignotis ei fontibus Polonis corroboratam (cfr. Wojtyńska PP, p. 65-104).

⁴⁶⁹ A. 1942 et 1943 prodierunt volumina 3 et 8 *Nonciature de Flandre*.

⁴⁷⁰ Vol. 1, *Correspondance de Martino Alfieri (1634-1639)*, publiée par W. Brulez, Bruxelles-Rome 1956.

⁴⁷¹ Vol. 1, *Correspondance du nonce Fornari (1838-1843)*, par A. Simon, Bruxelles-Rome 1956.

⁴⁷² Cfr. J. de Olarra-M. L. de Larramendi, *Indices de la correspondance entre la nunciatura en España y la Santa Sede durante el reinado de Felipe II*. Publicalos la Real Academia de la Historia, Vol. 1-2, Madrid 1948-1949.

⁴⁷³ Cfr. infra, commentarium ad instructionem.

⁴⁷⁴ Cfr. supra et continuationem eorundem in *Correspondencia entre la Nunciatura en España y la Santa Sede. Reinado de Felipe III (1598-1621)*, Vol. 1-7, Roma, Iglesia Nacional Española 1960-1967; *Correspondencia diplomática de los nuncios en España*, Universidad de Navarra, Documentos para la historia de las relaciones Iglesia-Estado en la España del siglo XIX. Serie I: *Nunciatura*. Vol. 4, *Nuncio Tiberi (1827-1834)*, Pamplona 1976; F. Diaz de Cerio SJ, *Regesto de la correspondencia de los obispos en el siglo*

nandos atque concordandos curant.

Itali, qui initio de edendis nuntiaturis suis parum curabant, a. 1958 edere tandem coeperant nuntiaturas saec. XVI-XVIII (*Nunziature d'Italia*), in seriebus singulis nuntiaturis dicatis: Venetae (8 volumina, a. 1533-1576)⁴⁷⁵, Neapolitanae (2 volumina, a. 1570-1577 et 1587-1591)⁴⁷⁶ et Sabaudae (1 volumen, a. 1560-1573)⁴⁷⁷. Editio expletur volumine extra has series edito, quod documenta continet ad quartam nuntiaturam Italicam, Florentinam, spectantia, cura et patrocinio Tabularii Vaticani publicato⁴⁷⁸. Quamvis enim Institutum Historicum Italicum (Istituto Storico Italiano per l'Età Moderna e Contemporanea) summo studio et diligentia, magno etiam impetu editionem suam *Nunziature d'Italia* adortum sit, post a. 1977 nullum tamen novum volumen in lucem prodiit⁴⁷⁹. Extra seriem autem idem Institutum edenda curavit 4 volumina epistularum commercii Francisci Buonvisi: a. 1959 duo volumina ad nuntiaturam eius Coloniensem (1670-1672) et anno 1965 duo alia ad Varsaviensem (1673-1675) pertinentia⁴⁸⁰. Eorum tamen editores, Furius Diaz et Nicolaus Carranza, parcissimis tantum additis commentariis vel explicationibus, ediderunt integra volumina litterarum commercii Francisci Buonvisi, in tabulario Lucensi familiae Buonvisi et in sectione *Nunziatura di Polonia* Archivi Vaticani inventa, ne onere quidem sibi imposito, ut - praevia accuratior investigatione - ea explerent et locupletarent⁴⁸¹.

Inter editores non Polonos actorum nuntiaturae Polonae primum haud dubie obtinent locum Ucraini, Ordinis s. Basilii Magni sodales. Admirandus sane est impetus, quo pater Athanasius Welykyj a. 1954 ad publicandas *Litteras Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Ecclesiam Ucrainae et Bielarussiae spectantes*, anno autem 1959 *Litteras nuntiorum apostolicorum historiam Ucrainae illustrantes* animum intendit⁴⁸². In prima harum serierum, trium annorum spatio (ad a. 1957), edidit 7 volumina epistularum, a Congregatione de Propaganda Fide annis 1622-1862 ad varias personas de negotiis

XIX con los nuncios, según el Fondo de la Nunciatura de Madrid en el Archivo Vaticano (1791-1903), Vol. 1-3, Città del Vaticano 1984 (Collectanea Archivi Vaticani, vol. 18-20); J. M. Marques, *Indice del Archivo de la Nunciatura de Madrid*, Vol. 1-2, Roma, Instituto Español de Historia Eclesiástica, 1975-1985.

⁴⁷⁵ Ordine chronologico numerata 1-11 (non prodierunt volumina 3, 4 et 7). Vol. 1-2 et 5-6 edidit F. Gaeta, 8-10 A. Stella, 11 A. Buffardi.

⁴⁷⁶ Vol. 1 (ed. P. Villani), vol. 3 (ed. M. Bettoni), desideratur vol. 2.

⁴⁷⁷ Editum a Fausto Fonzi a. 1960.

⁴⁷⁸ Cfr. L. Baldisseri, *La Nunziatura in Toscana*, Città del Vaticano-Guatemala 1977.

⁴⁷⁹ Cfr. benevolam recensionem Huberti Jedin (*Osservazioni sulle edizioni delle Nunziature d'Italia*, "Rivista Storica Italiana", 75 (1963), p. 335-343), in qua tamen subtimescit, ne eiusmodi impetus laude dignus abrumpatur (ibidem, p. 342).

⁴⁸⁰ Cfr. Francesco Buonvisi, *Nunziatura a Varsavia*, Vol. 1-2, a cura di F. Diaz e N. Carranza, Roma 1965 (insimul supra 1000 documenta). Cfr. recensiones E. Cochrane, "The American Historical Review", 71(1965/6), p. 1320-1321, et J. Gierowski, "Rivista Storica Italiana", 80(1968), fasc. 1, p. 156-162.

⁴⁸¹ Mss. 89-92, 183-184, 184A.

⁴⁸² Utraque series inseritur in *Analecta Ordinis S. Basilii Magni. Sectio III: Documenta Romana Ecclesiae Catholicae in terris Ucrainae et Bielarussiae*, cura PP. Basilianorum collecta et edita.

Ecclesiae Unitae datarum. Maximam earum partem efficiunt epistulae ad nuntios apostolicos in Polonia scriptae, ex sectione *Lettere* Archivi eiusdem Congregationis depromptae⁴⁸³. Series altera, in qua ad a. 1977 prodierunt 14 volumina, annos 1550-1693 comprehendentia, non nisi epistulas nuntiorum continet. Cum tamen non solum supradictae Congregationi de Propaganda Fide inscriptae sint et non solum de Unitis tractent, propterea Welykyj in eis edendis regulam ab A. Turgenew, S. Tomašivs'kyj et a Daco-Romanis olim commendatam secutus est. Selegit scilicet ex relationibus nuntiorum, qui apud aulam Poloniae munere suo functi sunt (partim etiam ex epistulis nuntiorum, qui Vindobonae penes aulam imperialem fuerunt), illas tantummodo earum partes, quae ad Ucrainam quodammodo spectabant, easque publici iuris fecit. Investigationes eius comprehenderunt non solum tabularium Congregationis de Propaganda Fide, sed se etiam extenderunt ad Archivum et Bibliothecam Vaticanam.

Editio *Litterarum nuntiorum* in ultimo ex voluminibus hactenus editis complectitur etiam integras epistulas, vel earum fragmenta, ab aliis personis, quae de rebus Ucrainae scripserunt, datas⁴⁸⁴; tempus vero singula volumina elaborandi et publicandi ita protractum est, ut documenta ad integrum saec. XVIII spectantia adhuc desiderentur. Veri simile est eorum editionem propterea retardatam esse, quod non exiguus numerus epistularum, quae a metropolita Andrea Šeptyc'kyj olim collectae erant, interea temporis publicatae sunt ab Universitate Catholica Ucrainorum S. Clementis papae, Romae existente, in serie *Monumenta Ucrainae Historica* nuncupata. Quattuor primis huius publicationis tomis, annis 1965-1967 editis, et quattuor voluminibus supplementorum, iterum eduntur non paucae nuntiorum epistulae, quae iam ab Athanasio Welykyj typis divulgatae sunt (reliqui quattuor tomi, 5-8, continent documenta saeculi XVIII et primae partis XIX). Quae cum ita fuerint, Welykyj elaborandis reliquis seriebus, epistulas metropolitaram⁴⁸⁵, episcoporum⁴⁸⁶ et Basilianorum unitorum⁴⁸⁷, necnon documenta Unionis Bresstensis a. 1596⁴⁸⁸ complectentibus, totum se dedere constituit. Quae omnes editiones continent etiam plurimas epistulas a nuntiis apostolicis in Polonia

⁴⁸³ Cfr. supra, cap. I, p. 53-54.

⁴⁸⁴ *Litterae nuntiorum*, Vol. 14 (1684-1693), Romae 1977. Continet etiam multas epistulas Talenti et Romanini et aliorum Italarum residentium in Polonia.

⁴⁸⁵ *Epistolae metropolitaram, archiepiscoporum et episcoporum*, Vol. 1-9, Romae 1956-1980. Revertamen continent tantummodo epistulas metropolitaram, annis 1600-1740 datas.

⁴⁸⁶ *Litterae episcoporum historiam Ucrainae illustrantes*, Vol. 1-5, Romae 1972-1981. Nova series, a. 1972 intra seriem anteriorem instituta. Continet epistulas episcoporum (multas ad nuntios datas) ex a. 1600-1740.

⁴⁸⁷ *Litterae Basilianorum in terris Ucrainae et Bielarusjae*, Vol. 1-2, Romae 1979 (ad a. 1601-1760).

⁴⁸⁸ *Documenta Unionis Berestensis eiusque actorum (1590-1600)*, Romae 1970. Paucae epistulae nuntiorum inveniuntur etiam in prioribus publicationibus Athanasii Welykyj: *S. Iosaphat Hieromartyr. Documenta Romana beatificationis et canonisationis*, Vol. 1-3, Romae 1952-1967.

vel ad eosdem datas, ita ut supradictae Ucrainorum publicationes omnium hactenus typis impressarum collectionum, quae documenta nuntiaturae apostolicae in Polonia publicent, collectionem procul dubio longe copiosissimam et locupletissimam efficiant.

Evidentes ob causas minorem fontium editorum copiam afferunt Polonis historiae studiosis aliae paulo post inchoatae actorum nuntiaturarum editiones, imprimis Gallicae. Anno enim 1961 Facultas Historiae Ecclesiasticae Universitatis Gregoriana et Schola Gallica Romana (École Française) inceperunt bene delineatam editionem *Actorum Nuntiaturae Gallicae*. Optime ordinati laboris et industriae editorum testes sunt 16 usque ad a. 1984 publicata volumina, epistularum commercium continentia nuntiorum apostolicorum in Gallia, qui annis 1535-1686 munere suo functi sunt⁴⁸⁹.

Recens consilium acta nuntiaturae edendi captum est ab Academia Historiae Lusitana (Academia Portuguesa da História), quae Academiae Belgicae sodali, Carolo Martiali de Witte OSB, demandavit, ut acta vetustissima nuntiaturae Lusitanae elaboraret eaque edenda curaret. Itaque 1980 a. Olisipone in lucem prodiit ingens (800 paginis constans) volumen, cui inscriptum est: *La correspondance des premiers nonces permanents au Portugal 1532-1553*, signatum volumen II. Volumen vero I quinque annis post, a. 1985, divulgatum est, in quo De Witte profuse illustrat historiam illius quidem antiquissimae, sed simul recentissimae, si publicationem eius actorum consideres, permanentis nuntiaturae Europaeae, necnon delineat quaestiones cum eius editione coniunctas.

Inter opera historicorum exterorum, quae nostra interest, annotari tandem debet editoriale inceptum, quod non directe ad nuntiaturas, sed ad omnis generis Sanctae Sedis actionem tempore secundi conflictus gentium annis 1939-1945 illustrandam refertur, cui titulus *Actes et documents du Saint Siège relatifs à la seconde guerre mondiale*, a Petro Blet, Roberto Graham, Angelo Martini et Burchardo Schneider, professoribus Pontificiae Universitatis Gregorianaе mandatu summi pontificis Pauli VI curatum ac editum. In duobus praesertim illius seriei voluminibus aliquot breves nuntii et epistulae Philippi Cortesi, eiusque nuntiaturae consiliarii Alafredi Pacini, publicantur, quae - Tabulario Secretariatus Status ab anno 1922 nondum accessibili - hanc ultimam nuntiaturam II Reipublicae Poloniae aliquantulum melius notam reddunt, quam duas illam antecedentes⁴⁹⁰.

Conatus studiaque Polonorum in explorandis atque edendis actis nuntiaturae apostolicae in Polonia, finito superiore omnium gentium bello sus-

⁴⁸⁹ Cfr. ANG 16: *Correspondance du nonce en France Fabrizio Mirto Frangipani (1568-1572 et 1586-1587), nonce extraordinaire en 1574, 1557-1576 et 1578*, ed. A. Lynn Martin et R. Toupin, Rome 1984 (in tegumento elenchus omnium 15 voluminum antea editorum).

⁴⁹⁰ Cfr. volumina ADS I/1: *Le Saint Siège et la guerre en Europe. Mars 1939 - Août 1940*, 2 ed., Città del Vaticano 1970; ADS III/1-2: *Le Saint Siège et la situation religieuse en Pologne et dans les Pays Baltes, 1939-1945*, Città del Vaticano 1967. Aliqua inveniri possunt etiam in reliquis voluminibus (cfr. Tab. LX).

cepta, quamvis in comparatione cum aliorum editorum successibus nimis dispersa et ideo minus facile apparentia sint, minime tamen contemnenda esse videntur. Nam praeter tot magnas difficultates et impedimenta, quae nemo est qui ignoret, suscipiebantur tamen, et non solum a plurium editorum collegiis, sed etiam a singulis.

Itaque primo notandum est Thecas Romanas, quae parce ab historicis in Polonia viventibus ante et statim post superius bellum confectum usurpabantur, accessu ad archiva externa praeccluso, post annum 1956 largiore, ut dicitur, manu usurpari coeptas esse. Nominandi sunt praesertim editores documentorum vitam et opera Ioannis Zamoyski (1542-1605) illustrantium, qui ab initio huius editionis, a. 1904 inchoatae et nondum expletae, nunquam Thecis Romanis uti cessaverunt, multas epistulas nuntiorum ab Andrea Caligari usque ad Hippolytum Aldobrandini (1578-1588) publici iuris facientes⁴⁹¹. Ultimus eorum, Casimirus Lepszy, qui expeditionibus impeditis thecarum Cracoviae curam habebat, usus est eis etiam ad alia opera sua historica componenda⁴⁹². Usi sunt eis etiam Adamus Kersten (in pluribus operibus, quae historiam Poloniae medio XVII saeculo illustrant)⁴⁹³ et Vladislaus Czapliński eiusque discipuli, qui ope epistularis commercii nuntiorum primae saec. XVII partis, in apographis Thecarum Romanarum conservati, historiam dietarum regni elucidare volebant⁴⁹⁴. Ob crescentem tamen in dies inter alios quoque Polonos historiae studiosos eiusmodi nondum satis exploratorum fontium vim attrahendi factum est, ut recens Statio Microphotographica, quam vocant, Bibliothecae Nationalis Varsaviensis copias microphotographicas omnium thecarum conficere coepisset, quo viris doctis facilius ad eas aditus redderetur.

Studia tamen ac explorationes nuntiaturae apostolicae in Polonia non circumscribuntur solum ad opera Expeditionum Romanarum consultanda. Inchoati sunt etiam novi labores. Inter collegiales, ut ita dicamus, fontium nuntiaturae exploratores adnumerandum est Institutum Historicum Polonicum Romae, et praecipue conditor eius et usque ad mortem (a. 1982) moderator, Valerianus Meysztowicz. Quod Institutum sibi imprimis proposuit fontes ad historiam Poloniae spectantes, in tabulariis exteris asservatos, publici iuris facere. Propterea in praecipua eius publicatione, *Elementa ad Fontium Editiones* inscripta, ordine, quo in tabulariis dispositae et collocatae sunt, inter alia documenta typis divulgatae sunt, in extenso vel in regestis, etiam permultae epistulae aliaque acta nuntiorum apostolicorum in Polonia. Editionem id genus documentorum inchoavit Wanda Wyhowska De Andreis, quae annis

⁴⁹¹ *Archiwum Jana Zamojskiego, kanclerza i hetmana wielkiego koronnego*, T. 1-4, ed. W. Sobieski, J. Siemieński, K. Lepszy, Warszawa-Kraków 1904-1948, cfr. bibliographiam.

⁴⁹² Praesertim Thecis Romanis 42 et 44 ad nuntiatuam Hannibalis de Capua spectantibus, cfr. bibliographiam in Tab. XIII.

⁴⁹³ Cfr. eius opera in bibliographia in Tab. XXVI-XXVIII.

⁴⁹⁴ Cfr. bibliographiam in Tab. XXI-XXVI.

1961-1965 publicavit 5 volumina epistularum commercii card. Virginii Orsini eiusque consanguineorum et familiarium cum Polonis (3 volumina regestorum et 2 selectorum textuum in extenso)⁴⁹⁵, quod multo sudore in copiosissimo Ursinorum tabulario Romae repperit et exquisivit⁴⁹⁶. Maiorem partem huiusmodi litterarum commercii efficiunt epistulae, annis 1647-1676 ad nuntios et a nuntiis datae. A. 1962, quinto volumine *Elementorum*, a Paulo Collura publicata sunt regesta epistularum Cosmi et Ioannis de Torres, quae in gentis ipsorum tabulario Aquilae servantur⁴⁹⁷. Anno autem 1970 V. Meysztowicz et W. Wyhowska in extenso ediderunt integrum litterarum commercium Farnesiorum cum Polonis et nuntiis apostolicis in Polonia, annos 1535-1772 complectens (ex collectione *Carte Farnesiane* Parmae custodita)⁴⁹⁸, et 63 epistulas nuntii Ioannis Andreae Caligarii, in Archivo Capitulari eius dioecesis in oppido Brisighella asservatas⁴⁹⁹. Hic elenchus clauditur volumine epistularum, maximam partem a Berardo Bongiovanni ad card. Ioannem Morone anis 1560-1563 datarum, a. 1984 a Carolina Lanckorońska publicato⁵⁰⁰.

Extra seriem *Elementorum* studia quaedam minora sociorum Instituti, nuntiaturae Polonae dicata, divulgata sunt in eiusdem Instituti ephemeride "Antemurale" nuncupata. In qua a. 1965 Wyhowska De Andreis repertorium publicavit epistularum nuntii Andreae Santacroce, annis 1690-1691 datarum, quae in parte Vaticana gentis eius tabularii conservantur⁵⁰¹, et Meysztowicz similem elenchum epistularum card. Fabricii Spada ad eundem nuntium a. 1694 datarum, quae in codice Vaticano, *Nunziatura di Polonia* ms. 354A inveniuntur, conficiendum curavit⁵⁰². Tribus annis post in eadem ephemeride prodiit brevissima relatio Antonii Martinelli de card. Hippolyti Aldobrandini legatione in Polonia, a V. Meysztowicz edita⁵⁰³. Idem Meysztowicz auctor est

⁴⁹⁵ Cfr. *Repertorium rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, P. 1-3, Romae 1961-1964 (EFE III, VII, X); *Collectanea ex rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino Romae*, P. 1-2, Romae 1965-1968 (EFE XIV, XVIII).

⁴⁹⁶ Cfr. supra, cap. I, p. 69.

⁴⁹⁷ *Repertorium rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana*, Romae 1962 (EFEV).

⁴⁹⁸ *Documenta Polonica ex Archivo Parmensi*, P. 1-2, Romae 1970 (EFE XXII, XXIII).

⁴⁹⁹ *Documenta Polonica ex Archivo Capitulari in Brisighella*, Romae 1970 (sunt II pars voluminis XXIII EFE).

⁵⁰⁰ *Documenta ex Archivo Ioannis Morone ad Poloniam spectantia, quae in Archivo Secreto Vaticano servantur*, Romae 1984 (EFE LVIII).

⁵⁰¹ *De documentis Polonicis Archivi Marchionum Santacroce in Archivo Secreto Vaticano*, "Antemurale", 9 (1965), p. 23-39; cfr. supra, cap. I, p. 69.

⁵⁰² *De litteris, quas card. Fabricius Spada, Secretarius Status, ad Andream Santacroce, nuntium apostolicum in Polonia, a. 1694 scribebat*, ibidem, p. 11-19. De fortuna huius codicis vide supra, cap. I, p. 45.

⁵⁰³ *Antonii Martinelli relatio de Hippolyti Aldobrandini legatione ad Sigismundum III regem Poloniae*, "Antemurale", 12 (1968), p. 29-42. In eodem numero Meysztowicz publicavit etiam relationem caerimoniarii pontificii Alaleoni de legatione cardinalis Radziwiłł in Polonia a. 1592, cfr. *Caeremoniarii anonymi relatio de cardinalis Georgii Radziwiłł legatione ad Sigismundum III regem Poloniae (A. 1592)*,

etiam brevis et concisae descriptionis nuntiaturae Achillis Ratti, annis 1918-1921 in Polonia peractae, quam a. 1969 publicavit uti sui generis responsum ad captiosam et non sine ira et studio exaratam eiusdem nuntiaturae descriptionem, a. 1953 a Iaroslao Jurkiewicz divulgatam⁵⁰⁴, qui aliis quoque lubricationibus suis nuntios apostolicos, in II Republica Polona munere suo functos, detrectare et infamare non dubitavit⁵⁰⁵. Hic notandum est marxisticam etiam, ut vulgo dicunt, interpretationem operis nuntiorum II Reipublicae, de quibus etiam aliqua nova in antiquo Tabulario Ministerii Relationum Exterarum invenit, dedisse Vieslaum Myslek, maiore tamen spiritu honestatis imbutam et scientificis rationibus suffultam⁵⁰⁶.

Longe alio spectant labores, partim etiam ad nuntiaturas pertinentes, qui a Pontificio Instituto Studiis Ecclesiasticis promovendis suscipiuntur. Institutum istud annis 1957-63 Romae eo fundatum est, ut "recenseret, ordinate elaboraret et tam per expeditam atque tempestivam informationem, quam continuam "microfilmatarum" taeniolarum coacervationem, historiae studiosis aditu faciliores redderet copiosas fontium collectiones"⁵⁰⁷, quae in variis tabulariis asservantur. Quae tamen documentorum coacervatio non "secundum determinatas quaestiones"⁵⁰⁸ perficitur. Quam ob rem multae id genus "microfilmicae" taeniolae, quae nuntiaturarum documentationem in Archivo Vaticano collectam (praecipue in sectionibus *Nunziatura di Polonia et Archivio Nuntiaturae Varsaviensis*) et tabulariis Italicis⁵⁰⁹ continent, documen-

ibidem, p. 43-75.

⁵⁰⁴ Cfr. V. Meysztowicz, *La nunziatura di Achille Ratti in Polonia*, in: *Pio XI nel trentesimo dalla morte*, Milano 1969, p. 177-203; J. Jurkiewicz, *Nunziatura Achillesa Ratti w Polsce* [De nuntiatura Achillis Ratti in Polonia], Warszawa 1953.

⁵⁰⁵ Cfr. eius *Stosunki polsko-watykańskie w latach 1918-1939. Materiały archiwalne*, [Relationes Polono-Vaticanae annis 1918-1939. Documenta archivalia], Warszawa 1955; *Watykan a Polska w okresie międzywojennym (1918-1939)* [Sancta Sedes et Polonia inter duo bella] in: *Szkice z dziejów papieżstwa*, Warszawa 1961, p. 477-502.

⁵⁰⁶ Cfr. *Kościół katolicki w Polsce w latach 1918-1939 (Zarys historyczny)*. [Ecclesia Catholica in Polonia a. 1918-1939. Adumbratio historica], Warszawa 1966 passim, praesertim p. 155-161, 184-185.

⁵⁰⁷ Cfr. H. Fokciński, *Powstanie i działalność Papieskiego Instytutu Studiów Kościelnych w Rzymie* [De fundatione et opera Pontificii Institutii Studiorum Ecclesiasticorum Romae], "Informationes", 1(1976), p. 8.

⁵⁰⁸ Ibidem, p. 8.

⁵⁰⁹ Cfr. indicem taeniolarum "microfilmicarum" ad singulas collectiones AV pertinentium (status a. 1976) in "Informationibus", 1 (1976), p. 57-58; cfr. etiam H. Fokciński, *Stan i perspektywy informacji źródłoznawczej o polonikach archiwalnych we Włoszech* [De statu praesenti et futuro informationis de Polonicis, quae in tabulariis Italicis servantur,], KH, (1975), p. 811-820. Ex Bibliotheca Vaticana pauca manuscripta "microfilmata" sunt; eorum recensio facta est ope veterum inventariorum, praecipue relationum Bronisłai Dembiński et Vladisłai Abraham (cfr. supra, notas 184, 274, 276), cfr. H. Fokciński, T. Dziedzic, *Biblioteka Apostolica Vaticana. Rys historyczny, zasoby biblioteki i ich podziały, omówienie serii, w których Instytut prowadził poszukiwania* [Bibliotheca Apostolica Vaticana. Descriptio historica, collectiones Bibliothecae et earum divisiones, series, in quibus Institutum explorationem peregit], "Informationes", 2 (1980), p. 7-27. Praeter Vaticanum recensita sunt Polonica in *Fondo Aldobrandini* in Tabulario Doria Landi Pamfili (cfr. supra, cap. I, p. 60), et in nonnullis tabulariis monasterialibus, cfr. H. Fokciński, *Z działalności Instytutu w latach 1980-1982* [De opera Institutii annis 1980-1982], "Informationes", 3(1984), p. 125-126.

ta, quae nostra interest, eo ordine disposita nobis suppeditant, quo in tabulariis collocata et ordinata servantur. Inveniri et accedi tamen possunt ope et auxilio catalogorum, qui a sociis Instituti data opera confecti sunt.

Tertium tandem institutum Polonum, quod colligendis et investigandis fontibus, ad nuntiaturam Polonam attinentibus, dat operam, est Catholica Universitas Lublinensis. Itaque a. 1959 et 1962 eiusdem athenaei Institutum Geographiae Historicae Ecclesiae Polonae (praeside Georgio Kłoczowski) in Tabulario Vaticano explorationem suscepit, perlustrando imprimis collectiones *Archivi Nuntiaturae Varsaviensis* et *Archivi Consistorialis* (documenta ad processus informativos episcoporum spectantia, relationes de statu dioecesium)⁵¹⁰. Proposita tamen sociorum eiusmodi instituti non eo tendebant, ut fontium nuntiaturarum editiones susciperent vel singularum elaborationem temptarent, sed ut potius documentis ad elaborandam historiam socialem et administrativam, ut ita dicamus, Ecclesiae Polonae uterentur. Quam ob rem investigatorum Lublinensium animi ad illa imprimis documenta advertuntur, quae in Archivo Nuntiaturae collecta erant tempore perquisitionis, a. 1772 a nuntio Iosepho Garampio inter episcopos et ordines religiosos peractae, quae ad statum Ecclesiae numericum et administrativum, curam animarum et similia spectabat. Eiusmodi documentorum exploratio Ludomiro Bieńkowski ansam dedit ad scribendam primam, valde accuratam, historiam Archivi Nuntiaturae Varsaviensis⁵¹¹. Eorum vero diligentior examinatio et elaboratio fructum edidit aliquas dissertationes de statu et conditione ordinum religiosorum, paroeciarum et curae animarum in Polonia circa a. 1772⁵¹².

Aliud vero institutum Catholicae Universitatis Lublinensis - Institutum scil. Historiae Ecclesiae penes eiusdem athenaei Facultatem Theologicam existens - patrocinator laboribus auctoris huius expositionis, qui inde ab a. 1972 investigandae origini et ordinationi nuntiaturae Polonae⁵¹³, indagando statui studiorum et editionum⁵¹⁴ cognoscendisque nuntiaturis, quae initio

⁵¹⁰ Cfr. J. Kłoczowski, *Kwerenda polska w archiwach watykańskich w 1962 r.* [De exploratione Polona in Tabulariis Vaticanis a. 1962 peracta], "Przegląd Historyczny", 55 (1964), p. 257-266; de investigatione Vieslai Müller in sectione *Nunziature Diverse*, cfr. supra, cap. I, p. 45-46.

⁵¹¹ *Archiwum Nuncjatury Warszawskiej*, SZ, 21 (1976), p. 125-133.

⁵¹² *Zakony męskie w Polsce w 1772r.* [Ordines religiosi masculini in Polonia a. 1772], red. L. Bieńkowski, J. Kłoczowski, Z. Sułowski, Lublin 1972; S. Litak, *Struktura terytorialna Kościoła Łacińskiego w Polsce w 1772r.* [Ordinatio territorialis Ecclesiae Latinae in Polonia a. 1772], Lublin 1980; J. Flaga, *Duszpasterstwo zakonów w Polsce w drugiej połowie XVIII w., 1767-1772* [De cura animarum, ab ordinibus religiosi in Polonia exercita XVIII saeculi parte posteriore, 1767-1772], Lublin 1986.

⁵¹³ *Geneza nuncjatury polskiej* [De origine nuntiaturae Polonae], "Folia Societatis Scientiarum Lublinensis", 16 (1974), *Humanistica* 2, p. 123-132; *Zur Entstehung und Organisation der polnischen Nuntiaturs bis 1572*, MÖSA, 33 (1980), p. 58-76.

⁵¹⁴ *Stan przygotowania do druku korespondencji nuncjuszów w Polsce do roku 1572* [De statu parandae editionis litterarum commercii nuntiorum ap. in Polonia usque ad a. 1572], SZ, 18 (1973), p. 199-206.

regni Sigismundi Augusti in Polonia fuerunt⁵¹⁵, animum intendit.

Praeter historiae studiosorum collegia, de quibus supra diximus, superiore confecto bello labores et studia, actis nuntiaturs publicandis destinata, etiam a singulis rerum gestarum studiosis suscipiebantur. Itaque Vladislaus Pociecha in opere suo principali, quod de Bona regina Poloniae scripsit, fontibus nixus, de nuntiis in Polonia vetustissimis multa attulit⁵¹⁶. Sophia Sułowska dissertationem de nuntiaturs Honorati Visconti in Universitate Varsaviensi referendam a. 1948 proposuit⁵¹⁷. Sbigneus vero Szostkiewicz, qui primus ex Polonis in Archivo Santacroce explorare coeperat, a. 1956 edidit ex eodem tabulario ex Archivi Vaticani sectionibus *Nunziatura di Polonia* et *Nunziatura di Svizzera* selectas 438 epistulas Iacobi Cantelmo, ad Secretariatum Status annis 1687-1688, id est tempore illo, quo munere nuntii extraordinarii in Polonia fungebatur, datas⁵¹⁸. Quae editio explevit publicationem epistularum eiusdem nuntii a. 1689 datarum, quam Erasmus Rykaczewski ex apographis, ab Ioanne Baptista Albertrandio in tabulario Theatinorum Neapolitano confectis, parandam curavit⁵¹⁹. Annis 1959-1971 in duabus editionibus, relationes legatorum exterorum in Polonia complectentibus, maximi momenti fragmenta diarii Ioannis Pauli Mucante⁵²⁰, necnon relationum Bernardi Bongiovanni, Iulii Ruggieri, Ioannis Francisci Commendone et Honorati Visconti iterum typis impressa sunt⁵²¹. Inter memoratos discipulos Vladislai Czaplinski, qui post exactum annum 1965 in Athenaeo Vratislaviensi Regni Poloniae comitiorum historiae investigandae operam dabant Thecis Romanis innixi, a. 1975 Ioannes Pietrzak dissertatiunculam etiam de nuntiaturs Cosmi de Torres (1621-1623) publicavit⁵²². Tandem, ut hactenus publicata studia recensenda concludamus, epitomen historiae *Nuntiaturs apostolicae II Reipublicae Polonae* anno 1979 Hieronymus Wyczawski, professor Acade-

⁵¹⁵ *Król i nuncjusz. Berard Bongiovanni i Zygmunt August w latach 1560-1563* [De rege et nuntio. Berardo Bongiovanni et Sigismundo Augusto annis 1560-1563], in: *Studia i materiały*, Instytut Studiów Kościelnych, Rzym 1972, p. 43-68; *Papiestwo-Polska 1548-1563. Dyplomacja*. [Relationes diplomaticae inter papatum et Poloniam a. 1548-1563], Lublin 1977 (pars I: amplior disceptatio de origine nuntiaturs Polonae; historia nuntiaturs H. Martinengo, M. A. Maffei, A. Lippomano, C. Mentovato et B. Bongiovanni; ordinatio nuntiaturs eodem tempore accuratius descripta).

⁵¹⁶ *Królowa Bona (1494-1557). Czasy i ludzie odrodzenia* [Regina Bona 1494-1557. De hominibus, qui tempore renescentium litterarum, ut aiunt, fuerunt], T. 1-4, Poznań 1949-1950, passim.

⁵¹⁷ *Działalność nuncjusza Viscontiego w Polsce (1630-1635)* [De actione nuntii H. Visconti in Polonia 1630-1635], "Roczniki Humanistyczne KUL", 9(1960), fasc. 4, p. 31-99.

⁵¹⁸ Publicatae in *Sacro Poloniae Millennio*, Vol. 3, Rzym 1956, p. 51-279.

⁵¹⁹ Cfr. supra, notam 88.

⁵²⁰ Cfr. A. Przyboś, R. Zelewski, *Dyplomaci w dawnych czasach. Relacje staropolskie z XVI-XVIII stulecia* [Publici oratores antiquis temporibus. Veteres relationes de Polonia saec. XVI-XVIII], Kraków 1959, p. 135-158 (fragmenta iterum typis excusa ex *Zbiór pism* [Opera collecta], edito a I. Niemcewicz, vol. 2, p. 97-150, cfr. supra, notam 95).

⁵²¹ Cfr. *Cudzoziemcy o Polsce. Relacje i opinie* [Homines peregrini de Polonia. Sententiae et opinionones], selegit et edidit I. Gintel, T. 1, Kraków 1971 passim.

⁵²² *Nuncjusz Cosmas de Torres w Polsce (1621-1622)* [De nuntio Cosmo de Torres in Polonia], "Sobótka", 30(1975), p. 243-253.

miae Theologicae Varsaviensis studiosis suppeditavit, concisas descriptiones operae quattuor nuntiorum, qui annis 1918-1939 in Polonia fuerunt, publicando⁵²³.

Contributa ad editionem actorum nuntiaturae Polonae promovendam eiusque historiam investigandam afferunt quoque exteri rerum gestarum studiosi. Itaque a. 1961 A. M. Ammann edidit relationem *De itinere Moscovitico* Antonii Possevini, a. 1581 facto⁵²⁴, anno vero 1963 A. Marani publicavit instructionem Hieronymi Martinengo, a. 1548 ipsi datam⁵²⁵. Contributa ad cognoscendam historiam vinculorum, quae inter nuntium Angelum M. Durini et Polonos intercedebant, a. 1973 D. Caccamo et S. Graciotti typis divulgaverunt⁵²⁶. De conatibus Sigismundi III Vasa Poloniae regis annitentis, ut nuntio Claudio Rangoni cardinalatus dignitas conferretur, Valtherus Leitsch opus suum dedicavit⁵²⁷, permultis autem actis legati Ioannis Francisci Comendone et nuntiorum Vincentii Dal Portico et Vincentii Lauro ad conscribendam historiam Habsburgorum coronam regni Poloniae ambientium a. 1984 nixa est Germana rerum gestarum studiosa Almut Bues⁵²⁸. Eodem anno L. Tacchella Italico sermone publici iuris fecit quartam iam dissertationem de nuntiatura Aloisii Lippomano⁵²⁹.

Inter illos, qui superiore finito omnium gentium bello investigandis et in lucem edendis epistulis et actis nuntiorum apostolicorum in Polonia assidue incumbunt, peculiarem sane occupat locum Ioannes Wladislaus Woś. Elaborata enim ab eo et partim publicata diaria legationum et epistularum commercii Hippolyti Aldobrandini (1589/9) et Henrici Caetani (1596/7) cardinalium⁵³⁰ ad nostros usque dies sunt unicae temptationes illa non contem-

⁵²³ *Nuncjatura apostolska*, in: *Historia Kościoła w Polsce*, T. 2/2: 1918-1945, Poznań 1979, p. 23-26.

⁵²⁴ "Antemurale", 6 (1960/61), p. 1-85.

⁵²⁵ *Istruzioni all'Abate Gerolamo Martinengo. Nunzio in Polonia*, "Commentari dell'Ateneo di Brescia", 1963, p. 229-232.

⁵²⁶ D. Caccamo, *Il nunzio Durini (1767-1772) e la prima spartizione della Polonia*, in: *Italia, Venezia e Polonia tra Illuminismo e Romanticismo*, Firenze 1973, p. 37-68; S. Graciotti, *Il nunzio Durini e la Polonia letteraria del tempo di Stanislao Augusto*, ibidem, p. 69-105.

⁵²⁷ *Die Bemühungen Zygmunts III. von Polen um die Kardinalswürde für Claudio Rangoni*, MÖSA, 31 (1978), p. 41-51.

⁵²⁸ *Die habsburgische Kandidatur für den polnischen Thron während des ersten Interregnums in Polen 1572/3*, Wien 1984.

⁵²⁹ *Paolo IV e la nunziatura in Polonia di Luigi Lippomano, vescovo di Verona (1555-1557)*, in: *Dalla Chiesa Antica alla Chiesa Moderna. Miscellanea per il Cinquantesimo della Facoltà di Storia Ecclesiastica della Pontificia Università Gregoriana*, Roma 1983, p. 231-260.

⁵³⁰ *Contributo per la pubblicazione del Diario di viaggio in Polonia (1596-1597) di Giovanni Paolo Mucante*, "Bollettino Senese di Storia Patria", 73-76 (1966-1968), p. 252-277; *La legazione diplomatica in Polonia del card. I. Aldobrandini in una lettera di Emilio Pucci*, "Rinascimento", 21 (1970), p. 219-234; *Il diario di viaggio in Polonia di Giovanni Paolo Mucante, maestro di cerimonie del card. legato Enrico Gaetani*, "Annali della Scuola Normale Superiore di Pisa", Serie III, fasc. 3 (1973), p. 605-613; *Rzymianin Giovanni Paolo Mucante o Polsce w końcu XVI w.* [Ioannes Paulus Mucante Romanus de Polonia saeculo XVI exeunte quid senserit], SZ, 21 (1976), p. 119-123.

nenda historiae monumenta Italis quoque historiae studiosis aditu faciliora reddendi. Idem sibi proposuit auctor, cum a. 1984 volumen litterarum commercii Hannibalis de Capua Romae publicavit⁵³¹. Volumen illud cogitatum uti "materiali per una biografia", continet documenta ita selecta, ut non solum viris doctis Polonis, sed etiam historiae Neapolitanae studiosis, cuius civitatis nuntius noster episcopus fuit, quodammodo utilia esse possint. Quod quidem propositum facile intellegi potest, quamquam nonnihil ambiguum et controversum esse videtur. Nihilo tamen minus volumen hoc, ad partem philologicam quod attinet, accurate praeparatum et editum, emendato apparatu critico instructum, haud dubie optimam et hucusque ultimam effecit temptationem actorum nuntiaturae Poloniae edendorum, ex quo tempore a. 1951 ultimus fasciculus epistularum et actorum nuntiaturae Alberti Bolognetti in lucem prodiit.

Ut tandem concludamus, dicere possumus, 200 et etiam supra annorum labores et studia, in investiganda atque edenda acta nuntiaturae Poloniae eiusque historiam cognoscendam impensa, cum studiis et operibus historicorum et editorum ceterarum nuntiaturarum comparata, ingentem sane, quamquam non satis coordinatam et propter non magnum publicatorum operum numerum minus apparentem, ostendere operam editorum et historiae patriae studiosorum, ex quibus imprimis Ioannes Albertrandi et participes Expeditionum Romanarum Academiae Scientiarum Cracoviensis gratam perpetuamque posterorum memoriam meruerunt.

(*Latine vertit Lucianus Olech*)

⁵³¹ *Annibale di Capua. Materiali per una biografia*, Roma 1984. Cfr. rec. W. Tygielski in KH 92 (1985), p. 134-136.